













Rhemigij Misciorati Vincentij filij
Remigij Nepotis

XV

ODD.


Rhemigij Meliorati [illegible] filij

DE COMPONENDIS MEDICAMENTIS ET EORUM DIIUDICANDIS

[illegible] exactissima, & dilucidissima

[illegible] ODDO PATAVINO [illegible] THEORICAM PUBLICE PROFITENTE AUTORE.

Cui accessit Index Medicamentorum singulorum simplicium, & compositorum, facultatum, graduum, & dosium: [illegible] circa Theriacam: & Alter circa Turbith.



PATAVII

APUD [illegible] Bibliopolam.

M D LXVIII.

DE COMPONENDIS MEDICAMENTIS ET ALIORVM DIIVDICANDIS

Methodus exactissima, & dilucidissima

MARCO ODDO PATAVINO
MEDICINÆ THEORICAM PVBLICE' PROFITENTE AVTORE.

Cui accessit index Medicamentorum usualium simplicium, & compositorum, facultatum, graduum, & dosium: Discursus item circa Thæriacam: & Alter circa Turbith.

CVM PRIVILEGIO.





PATAVII.
APVD Paulum Meietum Bibliopolam.
M. D. LXXXIII.

IN LIBRUM MARCI ODDI

D. HENRICI COGGEMAN, HERLEMENSIS CARMEN.

Ad Studiosos.

Reddite Marco Oddo Grates studiosa iuuentus,
    Explodit scripto hoc pharmaca cuncta breui
Eloquio, docet & liber hic medicamina cuncta,
    Quo sumenda modo, quæ sua, quæq; Dosis.
Quod uariis scriptis docti prodiere Galenus
    Hippocrates, paucis hic docet in tabulis:
Ad quas in primis tu, cui medicina diuina
    Cordi est, perge metas, mente lege, ac fruito
Sic quę Marcus habet paucis descripta tabellis
    Conspicies, digna, & præmia multa feres.

ILLVSTRISSIMIS AC GRAVISSIMIS VIRIS ACADEMIAE PADVANAE GYMNASIARCHIS

Sapientissimis Iacobo Superantio Equite, & Diui Marci procuratore, Ioanne Correro, et Francisco Longo, Senatoribus Amplissimis.

Marcus Oddus S. P. D.



XTAT Diuini Platonis sententia libro de legibus Illustrissimi, ac Sapientissimi Gymnasiarchæ in quacunq; optima, beneq; instituta Republica, aut ciuitate duo potissimum expeti, animi dotes, atq; pecunias; nam quæ in conuiuiis decantari consueuere, prospera nimirum ualetudo, atq; egregia forma, aut nostræ non subiiciuntur potestati, aut sub animi dotibus referuntur. Quod sanè placitum nullo à nobis

negotio ostendi potest, cùm nil in Republica, aut Ciuitate turpius reperiatur, quàm homines spectare, qui intemperatam uitam traducant, uoluptatibus dediti sint, et insanis deniq; amoribus agitati, nilq́; perniciosius, quàm in eadem superbos, inuidos, seditiosos, & circa innumera propemodum uitia occupatos intueri: hinc enim familiarum interitus, hinc ciuium, amicorumq́; naces exoriuntur, hinc bellorum calamitates ueluti quadam illuuione ita deuastãtes, ut & multò pauciores ciues statuto numero supersint, & ipsæ deniq, ciuitates cum ciuibus necessariò corruant; contrà uerò si moderati sint homines, sapientes, prudentes, pacis amatores, & bonarum disciplinarum studiosi, nil iucundius, atq; fœlicius excogitari possit: Etenim tunc Respublica, ciuitasuè tota in pace erit, & stabilis, ciues uerò summa cum tranquillitate non solum uiuent, sed & adaugebuntur. Quòd si ad diuitias condescendamus nemo est, qui ignoret, eas non parùm tùm publicè, tùm priuatè cunctis ho-

minibus ornamento esse, quandoquidem si publicæ sint, in pace ciues omnes uiuunt, literati homines præmio afficiuntur, milites honestis stipendiis amplectuntur, hostium furores reprimuntur, ac bella deniq; publica sustinentur: at si priuatæ sint, nonnisi hominum gratia sunt, ut rectè primo Polyticorũ testatur Aristoteles Peripateticorum princeps, cum ad alimentum, & necessitatem rerum pro familia gubernanda ualde admodum faciant: nam ut idem Plato quandoq; discurrebat, si homo sine cibo, & potu uiuere posset, ita ut nec sitim, nec esuriem sentiret, non utiq; argento, auro, aliauè re simili ad ea comparanda opus esset: at cùm iam dictis rebus ob corporis conseruationem, atq; curationem indigeat, necessarium quoq; sibi fuit argentum, aurum, & alia huiusmodi, quibus corporis defectus supleret. Quocirca idem scribebat Aristoteles eos, qui bene uiuere student ob corporis fruitionem diuitias inquirere, & lepidissimus Isocrates ad Demonicum scribens opes tuas (inquit) duplici no

mine collito nempè, ut à magna iactura te ex pedias, & bono, studiosoq; homini infortunium patienti succurras. Quæ sanè duo etsi in aliis Republicis, & ciuitatibus quadante nus appareant, in uestra tamen Amplissima Republica insigniora, & illustriora reperiuntur: Siquidem in ea temperati plurimi uiri conspiciuntur, qui in consulendo prudẽtes, in agendo fortes, & in administrando iusti, pacisq; amatores existunt. Tantus uerò pecuniarum cumulus adest, quantus non solum in bello ciues, & subditos omnes ab inimicorum iniuriis defendat, sed & uigente pace pestem, famem, cæterasq; perniciosas calamitates coerceat, & literatos homines, qui & aliis prodesse cupiunt, honestissimè alat. Testes huiusce rei locuplectissimi sunt Prouinciæ, nationes, ciuitates, et oppida, quæ reipublicæ uestræ, prudentissimisq; consiliis uestris subiecta sunt, hæc enim Respub. nos ipsos hominibus mandat, qui prudentia, consilio, et sapientia nostrorum animos, nostraq; omnia regant, atq; gubernent. Inter cæteras

uerò Ciuitates testis est Patauium ciuitas nostra, quæ te Illustrissimum Iacobum Superãtium Prætorem sapientissimum, humanissimum, & iustissimum habuit, cuius quidem heroica, ac penè diuina facinora tanta sunt, tùm quando in Republica administranda supremis titulis, et honoribus condecoratus es, tùm quãdo extra vrbem et begnissimus Rethor, & apud omnes Principes disertissimus Orator, & summus Imperator exercitus fuisti, ut satius sit ea conticere, quàm leuiter ad modum attingere. Testis quinetiam est Verona inclyta Ciuitas, quæ te Illustrissimum Franciscum Longum prætorem doctissimũ, prudentissimum, & religiosissimum habuit, qui non solum sapientia, prudentia, & religione populum illum, & alias nationes tuae administrationi subiectas gubernasti, sed & adeo deuincisti, ut uno omnium consensu te patrem pauperum, uiduarum protectorem, miserorum solatium, iustorum fautorem, & malorum ultorem praedicent: quo factũ est, ut in te ipsũ in patriam reuersũ Senatus ille

amplissimus tamquã in lucidissimũ speculũ cõuersus quoscunq; eximios honores locarit. Tanta uerò de te Illustrissime Ioannes corrare mihi dicenda se offerunt, ut satius sit, ut de Cartagine, ea silentio inuoluere, cùm enim Respub. illa excelsa à teneris usq; annis facundiam tuam, sapientiam, & reliquas supremas animi dotes sit admirata, cõtinuatis semper temporibus, quandocunq; ei data est occasio, te apud Principes omnes in oratorem disertissimum elegit: Tu uerò qua praeditus es, humanitate non solum apud Italos, Germanos, & Gallos, sed & feras nationes adeo affabilis, adeo benignus, adeoq; prudens cunctis fuisti, ut uno omnes ore te tamquã unum cælitus demissum suspicerent, & admirarentur Duces: uerò, Reges, Romanorum, & Turcharum Imperatores, ac Pontifex deniq; maximus, apud quos præeras orator, & negotia maximi momenti circa status, & religionem familiarissime tractabas, te adeò admirati sunt, summisq; titulis, & honoribus condecorarunt, ut hodier-

na

na die inter tot Reipub. tuæ lumina uel maximè fulgeas. Mitto quàm uobis curæ sint, ut literati homines non solum in uestra Republica, sed & aliis uestro Imperio subiectis ciuitatibus, & oppidis reperiantur, quandoquidem aerario publico ab excelso illo Senatu tam celebre in tota Europa Gymnasium Patauii conditũ est, ut ad id tanquã nouas Athenas homines undiq; confluant, nõ solùm liberales facultates, sed et scientias oẽs Theologiã, Philosophiã, Medicinam, et utrumq; Pontificiũ, Cæsareũq; ius adepturi: Sãcitũq; est, quò eximii in quaq; facultate et scientia homines sũmo stipendio ad docendum elliciãtur, tres in Repub. ex optimis Grauissimi ut deligãtur, hisq; tota Gymnasii prouincia demandetur, qui doctrina, prudentia, et animi cãdore Gymnasiarchæ sint, atq; ipsius Moderatores. Cùm igitur Amplissimus ille Ordo inter tot uiros autoritate graues, doctrina eruditos, et consilio prudẽtes tres uos Reipublicæ uestræ lumina selegerit, quibus omnia, quae ad studium spectant, debentur, meas esse par

tes existimaui, si à uobis legēdi munere exornatus sum, et à uobis totus pendeo, meos etiā labores, quos pro uestro studio ꝑtuli, uobis dedicem, atq; consacrem: Neq; sanè p̄ter rationē id à me factum est, si .n. uestrū est, ut certè est hoc Gymnasiū, uestri quoq; sūt, et labores, qui ex eo prodeunt: cuius .n. sunt horti, ac uiridaria, illius sūt et fructus. Accipite itaq; viri Illustrissimi hylari frōte hosce ex uestris uiridariis productos fructus; quos quidem in lucē emittere decreui, ut eos p̄cipuè, qui me audire sunt assueti, gratificarer, hi .n. adeo p̄cibus me coegerunt, ut nephas ēe arbitratus sum hanc eis iustissimā petitionē denegare: Ac defēdite (quaeso) res uestras ab his, qui aduersus eas latrare incipient, earūq; dulcorem gustu amara bile pleno cōfundere tentabunt; meq; uestrū Alumnū, et Plantā custodire, irrigare, & fouere non dedignemini. Valete Illustrissimae Reipub. Venetae Splendidissima lumina, quibus Deus Optimus Max. Nestoreos annos, & ueram faelicitatem impertiat, ac donet.

RERVM NOTABILIVM, QVAE IN TOTO opere continentur Index copiosissimus.

Compositio

potius

FINIS INDICIS.



MARCI ODDI PATAVINI PHYSICI THEORICAM MEDICINAE PVBLICE' PROFITENTIS EXACTISSIMA METHODVS DIIVDICANDI, ET COMPONENDI MEDICAMENTA.



Edicinam ex Galeni ſententia libro partium artis medicatiuæ aliàs in duas ſeccauimus partes, conſtitutiuam quidem alteram, ſiue ſuperiorem ueteres nominarunt, Auicennas Theoricam, finalem uerò alteram, quæ ab eodem Auicenna Practica nuncupatur. Miſſa priori parte finalem hanc tanquam medicinæ propriã, atq; precipuam antiqui medici ante Hippocratis ęuum in tres adhuc diſtinxere portiones, ut & ſæpius teſtatur Galenus, Dieteticam, quæ uictus rationem docet, Pharmaceuticam, quę medicamenta recte adminiſtrare præcipit, ac Chyrugicã, quæ manu mederi nos inſtruit. De parte quidem dietetica nil effatu dignum ſcripſiſſe ueteres teſtatur Hippo. quod & confirmat Plato referente Galeno Aſclepiadas antiquos hac medicinæ parte non admodum inſtructos eſſe: Duas uerò reliquas apud eos maximo fuiſſe uſui Homeri teſtimonio comprobari poteſt, quippe qui ſcriptum reliquit priſcos illos, inter quos fuit Podalyrius & Machaon, in bello troiano fer-

lib. par. art. med. à principio.
3. de cõp. med. p gen. cap. 2.
Principio pri-

mi de ra tio uict. acut.lib. ad traſſ. anars med. & c. cap. 33.

ro,& medicamentis mederi ſolitos fuiſſe. cæterum ſicut pars ea, quæ manuum opera utitur, tunc temporis non admodũ fuit exacta, ſic neq; altera, quæ adhibet medicamenta, quando quidem ſimplicibus ut plurimum, & perpaucis utebantur, raro uerò, & non exactè compoſitis medicamentis: primam quidem partem à ueteribus fermè deſtitutam Hippocrates ſuis præclariſsimis oraculis libris de ratione uictus in acutis, & libris aphoriſmorum & aliis pleriſq; locis coluit, nec non manualem alteram uti ualde neceſſariam libris de ulceribus, de uulneribus, de fracturis, & aliis huiuſmodj, at poſtrema medicinalis pars licet ab eo tractetur, non tamen exactè; AEgiptij uerò tametſi multa in columnis illis haberent medicamenta tam ſimplicia, quam compoſita, methodum tamen, qua eis uterentur, nequaquam. At Galenus multa quidem de medicamentorum facultatibus edocuit, multa etiam de compoſitis pharmacis, & quomodo uti eis liceat, uerùm non ea facili methodo, qua unuſquiſq; promptè ſatis componendi artem aſſequatur, cùm ſparſim, & obſcuro quodam modo, nobiſq; inſueto eam tradiderit. Poſteriores uerò medici tãtum abeſt, ut nobis componendi methodum tradant, ut potius amethodici uideantur. Ego, qui ſemper ueſtrum omniũ (Iuuenes electiſsimi) utilitati ſtudeo, decreui his feriatis diebus uobis etiam mirum immodum exoptãtibus, & à me flagitãtibus breui admodum diſcurſu totam componendi artẽ tradere. Turpe namq; medico eſt rationalj uera methodo neglecta receptas, ſeu deſcriptiones hinc inde decerpere, neq; earum rationem aſsignare poſſe. Faxit Deus Opt. Maximus, cuius diuinum imploramus auxilium, ut deſiderio ueſtro cumulatiſsime ſatisfaciamus. Quod quidem ſi expleuero optimo benefactori gratiæ agendæ erunt: ſin minus, totum id mihi tribuendum erit, ſufficietq; uobis animi mei promptitudinem in maximis agnouiſſe. Vt autem perficiamus, qđ cupimus, bonos ſectabimur Geometras, qui priuſquam ſcientiæ Theoremata tradant, nonnulla præiaciunt, ex quibus promptius, & dilucidius ſuas propoſitiones deducant.

Quid ſit medicamentum, & quomodo à cibo,& potu diſtet. Cap. Primum.

NOS itaq; quædam prius à Galeno libris de Simplici Medicjna enarrata,& longa oratione diſcuſſa ſupponemus, atq; in primis quid medicamentum ſit, ſecundò quæ eius ſint propriæ differentiæ, & ex quibus eruantur, nam ex his duobus, tribuſuè ad ſummum capitibus omnia à nobis præcognoſcenda comprehendentur. Supponamus autem primùm notionalem medicamenti diffinitionem, mox uerò, & propriã naturam,atq; eſſentiam. Medicamentum,quod pharmacũ græce dicitur,id eſſe à Galeno ſcribitur,quodcunq; naturam, ſeu corpus noſtrum alterare poteſt, ſicut alimentum quicquid à noſtro uincitur corpore,&ſuperatur,& noſtrã adauget naturam: ſub hoc nomine comprehenditur quoq;uenenum,nam ſi medicamentum abſolute corpus noſtrum immutare poteſt, hæc utiq; alteratio tam ad bonum,quam ad malum,& hominis pernitiem tendere poteſt: quinimmo ueteres Medici,& Philoſophi uenenum pharmacum prius nominarunt, deinde uerò & ipſum propriè medicamentum: vnde Plato in Phædone lictorem introducens,quj uenenum Socrati ſorbendum porrexit, hoc pharmaci nomine utitur. Appellabantur quinetiam antiquitus pharmacodi quæcũq; ueneni quid detinebant, & pharmacodes telum hoc eſt uenenatum. At dicet quis ueſtrum, nonnè & alimenta hoc præſtant,ut corpus noſtrum alterent, atq; immutent? quæ igitur inter alimentum,& medicamentum erit diſtinctio? alimẽtum itaq; & pharmacum dici poterit? Magna quippè inter utrumq; eſt differentia,ſi utriuſq; actionum ſcopos reſpiciatis. Cùm .n. ex Galeno omnia, quę generantur,& intereunt, duplici tranſmutationi obnoxia ſint,ſubſtantiæ deperditioni, & alterationi, cibus, & potus primariò deperditum in corpore inſtaurant, atq; hic ſcopus ei eſt proprius, deperditi nempè adiectio, ſeu præſentis auctio: Quòd ſi contingat in hac adiectione, ſiue adauctione, dum cibus à calore noſtro conficitur, calorem à cibo alterari,hoc quidem ipſi ſecũ

1. de ſimpl. med. cap. 1.

1. de elem. ca. 7.

dariò & per accidens euenit, hæc enim alteratio non primò ex alimento intenditur, sed auctio, uel adiectio partis deperditæ: at medicamentum corpori non apponitur, nisi ut alteret duntaxat, non enim deperdito additur, neq; etiam adauget: atq; ob id ei per se, & primò alteratio & immutatio cōpetit: quòd si medicamentum quandoq; nutrit; & loco deperditi additur, id utiq; neq; propriè, neq; simplex est medicamentum, sed mistum ex alimento, & medicamento; lactuca namq; uel hordeum, qua nostrum alterat corpus, medicamenta sunt, at qua ipsum alunt, & in eius substantiam uertūtur, alimenta: atq; hæc à Galeno, & nostris medicis medicamenta cibalia, siue cibi medicinales propriè nuncupantur.

Medicamentum sub quo genere statuendum sit, & quæ ipsius natura, & essentia ab aliis distincta. Caput secundum.

CVM igitur medicamentum ad corpus nostrum referatur, ipsumq; alterare ualeat, uidēdum mox occurrit sub quonam genere in linea prædicamentali recondatur, hoc.n. ualde necessarium est, ut habeatis. Non est autem in primis sub substantia propriè, quoniam substantia, qua substantia corpus nostrum non alterat; ex Aristotele namq; substantia substantiæ non aduersatur, & Galenus scribebat alimentum substantiam propriè nominari, at non medicamentum: neq; id sub quantitate statuendum est, cum & quantitas quātitati contraria non sit, ac proinde neq; corpori nostro: igitur aut sub prædicamento ad aliquid, aut sub qualitate reponendum erit: quatuor namq; hæc simplicia sunt prędicamēta, ex quibus composita reliqua consurgunt. Proinde nemini dubium esse potest, quòd cum medicamentum ad corpus nostrum relationem habeat, sub relationis prædicamento est collocandū: quod quidem & sentiebat Galenus principio suorum de simplici medicina librorum scribens medicamentum nunquam tale dici, nisi corpori nostro admoueatur, alteratio nemq; inferat. Verum si intimius propriam medicamenti na

lib. p̄d. cap. de substantia: primo de elem. cap. 7.

turam,& essentiam scrutemur,hæc utiq; cum respiciat potẽtiam quandam,& aptitudinem,quam in se continet, agendi, & in corpus nostrum operandi, sub qualitatis etiam genere statuenda est;& si proximum genus habere exoptatis, sub naturali potentia una ex quatuor qualitatis speciebus ab Aristotele libro prædicamentorum enumeratis: quæ tamen naturalis potestas, siue potentia in materia, seu substantia quapiam composita fundetur, neq; ab ea seorsum esse possit, ut recte à Galeno scriptum est; ut enim cursores & pugillatores dicuntur, quoniam potentiam quandam in se obtinẽt, qua ad pugnam,& cursum sunt aptj (tametsi actu non currant, neq; pugnent) neq; ab eis uis illa seiungi potest; sic & medicamenta dicuntur, quoniam facultatem hanc habẽt,qua corpus nostrum alterari potest, neq; potentia ea ab ipsis separari ualet. Porrò potentia hæc siue potestas in medicamẽtis est facultas illa eis insita, quæ non tantum à cælesti causa prouenit, ut Mesues noster medicus arabs insignis substituisse uidetur, quoniam hęc communissima est omnibus,sine qua inferiora hæc neq; gubernantur, neq; producuntur, sed ortum potissimum habet à primis principijs nostræ generationis,ut censuit Galenus,& rectè sanè,qui missa multotiens uniuersali causa particularem potius,& internam proponit. Atqui principia hæc quatuor sunt elementa,quæ primis qualitatibus agunt, dum ab eis facultates omnes in corporibus & substantiis reconditæ secundum uariam eorum temperiem, atq; miscellam effluunt. Neq; de hoc uerendum est, nam licet quidam (ut testatur Gal.) uniuscuiusq; facultatis essentiam certò cognosci non posse assererent, ut Sceptici Philosophi,& Empyrici, qui uerò eam haberi posse tenerent, in uarias sectas fuerint distincti, Hippo. tamen sententia libro de alimento & aliàs sæpius, uti ueritati magis consona Galeno probatur, eam haberi posse,& calido,frigido, humido,& sicco tum aliorum omnium tum animantium corpora constare,& qualitates ipsas esse effectricium facultatum essentias: Quam etiam sententiam sustinuere omnes tum probatissimi Philosophi, tum consumatissimi Medici. Vnde postq̃

1. de elem.c.7.

1.de simpl. med. cap. 1.

14. de us. par. cap. 6. quodam loco determinauit Gal. semen fæminæ imperfectius esse semine maris,& ad motionem ineptius, subiungit: Motionem hanc perfectam, uel imperfectam inęqualitati in calido & frigido tribuendam esse, ad quod unum principium (si modo planè Physici esse uelimus) particulares omnes actiones sunt reuocandæ. Hæc igitur est medicamentorum natura,in qua naturalis hæc facultas, siue potentia uiget ab externa quadam ui distincta, quæ in nonnullis reperitur,quemadmodum in serra secandi uis,& in ligno contundendi,proptere a ꝙ ut monstrabat Galenus non ueram producunt hæ facultates alterationem, qua res de specie ad speciem transferantur, neq; ueræ sunt potestates, quę alterent; sunt enim comminutiones potius, dissecationes, & alia istiusmodi , ob quæ nullum exinde malum consequitur, nisi ex qualitatibus uerè alterationes contingāt. Ab hac quoq; medicamenti essētia excluduntur exercitia , frictiones , animi affectiones & istiusmodi omnia, quæ licet corpus nostrum alterare queant, non tamen eam innatam facultatem internam obtinēt , ac sibi propriam, qua primò & per se,non autem secundum accidens agant. Verum de elementis nonnihil est difficultatis, quandoquidem hinc inde contrarię uidentur rationes,& Galeni autoritates non exigui momenti, ob quas nonnulli elementa sub medicamentis contineri, alii uerò contrà ea à medicamentis segreganda esse sustinuere. At nos eorum altercationem diluere studentes utramq; sententiam seruari , & Gal. à contradictione ullo absq; scrupo uindicari posse arbitramur; si enim medicamentum accipiamus propriè prout sub naturali potentia reconditur , & agendi actum nondum habet, nulli dubium est , quòd elementa uerè medicamenta non sunt, non enim ad agendum aptitudinem habent, quæ à calore nostro excitetur,sed actu uim suam ostendant,fiuntq; potius materię medicamenti,atq; ei usum præstant,ut libro de elementis Gal. edocuit: nam ut sanum esse differt à salubri,& currentem à cursore,quoniam ille actum dicit,hic uerò potentiam tantum, sic & elementa actum agendi habent, medicamenta uerò potestatem duntaxat: At si medicamen-

Margin notes: 3. de simpl. med. cap. 4. (beside "rea ꝙ ut monstrabat…"); 1. de elem. c. 7. (beside "de elementis Gal. edocuit…").

tum impropriè capiatur,ut se ad passibilem qualitatem extē dit,cum & elementa aliquid in nos agant, medicamenta quadantenus dicētur; quomodo ea usurpauit Gal. tum libris de simpl. med. tum etiam libris de temperamentis elementa in medicamentorum numero collocans, impropriè namq; & communiori quadam uoce & ipsa medicamenta nominantur, cum medicamentis propriè materiam præbeant, utilitatemq; præstent,ut dictum est.

primo de sīpl. med.c.i. 3. de tē per.cap. 1.2.&3.

Medicamenti essentialis diffinitio ex superioribus ostensis collecta. Cap. Tertium.

VT igitur quæcunq; à nobis de medicamenti essentia & natura dicta sunt memoria mandetis ex Galeni sententia,ipsius essentialis diffinitio colligenda est, quam hunc in modum esse arbitramur, quòd medicamentum est mistum quoddam naturalem in se potentiam continens, quæ a corpore nostro excitata idipsum per se, & primò specificè immutare, ac alterare potest. Habetis namq; in primis ipsius medicamenti proximum genus, quod in se & simplicia,& cō posita medicamenta comprehendit, à quo genere exercitia, labores,frictiones,animi affectiones & huiusmodi excluduntus,quæ mista non sunt hanc in se potentiam naturalem habentia, ut per se, & primò excitata in nos agant: elementa quinetiam ab ea diffinitione remouētur, quoniam neq; mista sunt, neq; naturalem illam potentiam habent, sed actum, nam ut salubre corpus dicitur,etiam si actu ægrum sit,sic & medicamentum talem habere potentiam dicimus, etiam si nondum excitata uisatur. Adiecimus uerò loco differentiæ: [Quæ à nostro corpore excitata idipsum per se & primò alterare, & immutare potest] ut distingueremus à medicamento quæcunq; corpus nostrum alunt, hæc enim dum partem consumptam restaurant,per accidens etiam calorem nostrum alterāt, dum uerò parti apposita sunt,& unita calorē adaugent, ad cuius auctionem secundariò quoq; totum corpus alteratur: subiecimus postremò [specifice alterare, & im

4.de dif. pulf. à principio & pè calcem.

mutare] ut distinguamus ab his, quæ secant, contundunt, dilaniant, & huiusmodi efficiunt, nam licet in nobis alterationem moliri uideantur, non tamen id ex propria natura perficiunt, neq; ex specie ad speciem transferunt, sed (ut inquit Galenus) præuiæ potius sunt præparationes ad ueram introducendam alterationem : placuit autem nobis in hac nostra medicamenti diffinitione omittere, quòd à nonnullis additum est, & perperam, Medicamentum ab hominibus inuentũ esse, nam bruta animantia non solum medicamenta quædam inuenere, ut canes ob nauseam gramen, sues ob capitis dolores fluuiatiles cancros, testudines origanum, mustella rutã, & serpens marathrum, ut testatur Theophrastus, & alii grauissimi scriptores, sed & multa hominibus sæpius commostrarunt; nam, ut multa prætercam, legitur apud Plutarchum in suis opusculis, dum de industria animalium loquitur, AEgyptios purgationem imitatos esse, qua Ibis auis uti solita est, & Creticam Capram grauidis mulieribus ostendisse uiam, qua dictamni pastu partus eijcerent.

3. de sĩpl. med. cap. 4.

6. de caus. plãt. cap. 4.

Differentię medicamentorum, à quibus sumantur, & quæ nam eæ sint. Caput Quartum.

COnstituta medicamentj essentia, atq; natura ad eius differentias indagandas accedimus (quod secundum fuit à nobis discutiendum propositum) sine quarum recta cognitione fieri non potest, ut methodum componendi medicamenta habeatis. Desumuntur autem medicamentorum differentię à duobus pręcipuè fontibus, subiecta nimirum materia, ex qua constãnt, & temperamento, quod eorum est forma ex Hippo. Aristotelis, atq; Galeni placitis: vt enim ex materia prima, & qualitatibus primis uti formis elementa conficiuntur, quicquid dicat Auerroes, & sequaces, qui aduersus græcos dari alias formas in elementis innominatas contendere; sic & mista hæc pręter duo ista principia, ex quibus elementa constãt, tertium adhuc habent elementa ipsa, ut eorũ proxima materia, atq; subiectum, quod quidem licet in nos

non

non agat,sed solum sit patiens,ut & materia prima, & medicamenti formam recipiens, ueruntamen cum in medicamentis uarium sit ob diuersam elementorum substantiæ complicationem,in eis multiplicem distinctionem efficit: Quæ etiã distinctio ex eo habetur, quoniam calor noster in materiam hanc illamuè promptius , aut ineptius agit,ut medicamenti forma ex potentia ad actum deducatur. cum uerò elemẽta hæc suis qualitatibus agant , & repatiantur , ut inferius monstrabimus,& in mistis ad quãdam mediocritatem deueniant,ex hac uerò refractione,& mediocritate forma quædam resultet,sicut multiplices sunt hæ mediocritates, ad quas mista pertingunt,sic & uariæ formæ,à quibus differentiæ sumentur. Medicamentum igitur ex his duobus subiecta materia,& forma iure à nobis distinguetur, & ab utraq; proprias differentias exhauriemus: at cum materia in primis considerari possit in medicamentis uel penès propriam elementorum substantiam , quæ insimul miscentur,uel penès modum substantiæ eorum,uel penès eorumdem molem, seu quantitatem, uel deniq; penès ipsorum inter sese connexionem, & adhæsum, totidem quoq; ab his quatuor differentiæ exhaurientur. Prima quidem erit, quòd medicamenta alia tenuia sunt, alia uerò crassa, nam cum ex elementis alia sint substãtia crassa,ut aqua,& terra,alia uerò tenui,ut aer & ignis,quæ aere multo participabunt,& igne medicamenta, in partes facillime dissolui poterunt,& cõminui celeriter; atq; hæc græce tenuiũ partiũ dicuntur, ut & censet Galenus: quæ uerò terrea magis,ac aquea,difficulter admodum dissoluentur,& crassarũ partiũ nominantur: quo uerò ad molem substantiæ, & elementorum duæ aliæ exhauriuntur differentiæ , alia enim medicamenta rara dicuntur , atq; alia densa , nam quorum partes inanibus spaciis sunt interceptæ , ut pote porosæ & aere plurimo in eorum cauitatibus repletę , talia rarę sunt substantię pauco in eis terreo existente, nam ut ex philosophia habetur,ex multis pugillis ignis fit aer , sicut ex multis aeris aqua, quoniam rarior est ignis aere,& aer aqua: contrà uerò quæ densa sunt, partes in unum compactas habent , &

1.de sĩpl.med. cap. xi.

meatibus destituuntur,& substantia aquea,& terrea constant. exhauriuntur quinetiam ex elementorum substantiæ modo duæ aliæ differentiæ, ut alia quidem leuia sint,alia uerò grauia; quò enim medicamenta leuioribus constabunt elementis, eò leuiora euadent, quò uerò grauioribus utpote aqua & terra, eò etiam grauiora sese ostentabunt,& magis ponderosa: Postremò si respiciamus elementorum inter sese connexionem,& adhæsum,dum inuicem miscentur,& medicamenta conficiunt, alterum differentiarum genus exoritur,quòd alia erunt uiscosa,& lenta, quæ partes adeo sibi inuicem adhærẽtes habent,ut ægre, aut ne prorsus quidem segregari queãt, diffiniebat namq; uiscosum Aristoteles id esse,quod cum trahibile,& humidum sit, molle est,ut uiscus, & enim sui mollitie admodum extendi, & contrahi potest: alia uerò fragilia, seu frangibilia medicamenta erunt, quorũ partes facile admodum separari possunt,& minutissime admodũ disrumpi. Atq; hę quatuor sũt penès materiam subiectã medicamentorũ primę genericæ differentiæ,quæ mox in magis speciales secundũ uariã elementorum miscellam,& compositionẽ seccari possũt.

4. metheor. contex. 47.

Cæterum differentiæ,quæ ex temperamento dependent primarum qualitatum,quæ in elementis reperiuntur,si ut Rationales & Dogmatici medici loquamur,ut recte sentiebat Gal. ex solis illis primis qualitatibus exhauriendę sunt, quandoquidem omnes secundæ,tertię,& quartæ (si eas concedamus,ut nonnulli uolunt)ad has primas deducuntur,ut sicut reliquę omnes à primis dependent,sic & per primas facile inter sese distent. At si nos ad alterationes omnes a medicamentis utcunq; prouenientes respiciamus,nõ solũ à primis qualitatibus,sed & ab his quæ à primis deriuant,differẽtias quasdã cõmunes, & genericas sumemus. Primæ itaq; differẽtiæ erunt à nobis capiẽdę ex primarũ qualitatũ alteratione,quæ ĩ medicamentis reperiuntur; in eis nanq; sunt,aut quatuor qualitates primæ ęquales,aut inequales: si æquales,resultabit absq; difficultate in medicamentis uis quædam,seu facultas media, qua medicamenta illa corpus nostrũ neq; calefacient, neq; infrigidabunt, neq; humectabunt, neq; exiccabunt, seu po-

5. de sĩpl. med. cap. 2.

tius omnia ęque,& moderate perficient: quod quidem licet Gal.admittat, cui etiam Serapion consentit,& Auicennas, Auerroes tamen hoc ualde difficile uideri scribit,cum non nisi quod alteret corpus,ut a nobis conclusum est,uerè medicamentum nuncupari queat; illud autem potius sit cibale medicamentum,uel cibus medicinalis à Galeno quoq; nominatus. At si inæquales sint in medicamentis qualitates, cũ inęqualitas hęc aut penès aliquam ex simplicibus qualitatibus,aut ex duabus compositam esse possit,est enim inęqualitas aut in caliditate,aut frigiditate,aut humiditate,aut siccitate,aut coniunctim in caliditate & humiditate, caliditate& siccitate,frigiditate,&humiditate,&frigiditate&siccitate,quot modis sunt lapsus à mediocritate,æqualitateuè,totidẽ etiam erunt facultatum differentiæ,quæ ab istis excedentibus efflu ent qualitatibus,ac proinde tot medicamentorum differentiæ ex parte formæ in eis repertæ: cum uerò declaratum sit octo esse lapsus iuxta eas primas qualitates, octo quinetiam erunt genericæ ac primę differentiæ, quæ ab eis sumentur. Atqui cum temperiem cuiusq; medicamenti, quæ à primis secundum substantiæ rationem dependet qualitatibus,necessariò consequantur (ut scripsit Gal.de corporibus in uniuersum uerba faciens) odores,sapores,colores,durities,& mollities,nonnulli clarissimi Medici, inter quos fuit præstantissimus,& doctissimus Montanus ,existimarunt,ab his tanquam secundis qualitatibus,& potissimum à saporibus differentias exauriendas esse,aliud namq; medicamentum acre est , atq; aliud amarum,quod itidem de aliis saporibus dicatur. At falluntur hi,quoniam neq; Galenus ullibi & potissimum toto libro de simplici medicina,neq; Auicennas libro secundo suo Canonis,aut libro Cãtices,neq; Auerroes suo collectaneorũ libro eas qualitates secũdas nominat:et licet qualitates ex saporibus accidẽtia sint medicamẽtorũ tẽpiẽ cõsequẽtia,attamẽ quoniã ut tali sapore prædita corpus nostrũ imutare nequeũt,qualitates ex ipsis saporibus secũdæ facultates,&qualitates alterabiles,& medicamẽtosæ dici nõ merentur:nã quid efficit dulcedo,aut amaror suapte natura ad ægritudinem,aut

5. de sĩ pl.med. propè calcem. principio sui libri prima primi cap. de compl. 5. collig. c.3.

primo de us. par.c.9.

ſanitatem? neq; enim ſaporibus utimur, quando corpus noſtrum alterare contendimus, ſed hæ qualitates ad duo proficuæ ſunt, tum ad qualitates alias dignoſcendas, tum etiam ut medicamenta nobis ſuauiora, uel minus inſuauia reddantur, ut inferius monſtrabimus. Falſa igitur iſtorum ſententia eſt, ac proinde ab his differentię minimè exhauriendæ ſunt, cum nec ab eis corpus noſtrum pro ſanitatis ſcopo alterationem ullam ſuſcipiat. At quæ nam ſecundæ ſunt qualitates ſiue facultates? Referuntur inter ſecundas tum à Galeno, tum ab Auerroe aperitiua, inciſoria, adſtrictoria, laxatoria, intenſoria, emollitoria, rarefactoria, & huiuſcemodi; à primis namq; oriuntur, et ut primæ corpora noſtra uario modo immutare aptæ ſunt, & hæ non parum inter ſeſe diſtant, & ab eis uariæ differentiæ capiuntur.

5. de ſimpl. med. cap. 2. 5. collig. c. 4. & 20.

Quomodo ſecundæ facultates diſtent à tertiis, & quòd quartę non dentur à tertiis diſtinctæ. Caput Quintum.

PRoindè licet qualitates omnes ſecundæ primas inſequantur, non tamen omnes ſecundæ ſunt nominandæ, ſi ſecũdum proprium ſignificatum loquamur, aliæ enim ſecundæ propriè ſunt, aliæ uerò tertiæ: Diſtinguuntur autem his nominibus penès tria, tum ratione in primis ſubiectorum, in quæ potiſſimum agunt, tum quoniam aliæ à primis immediate in naſcuntur, aliæ uerò non immediate, ſed à primis & ſecundis, tum etiam quoniam aliæ non magno apparatu, neq; miſcella indigent, aliæ uerò interuentu maioris apparatus, atq; miſcellæ perficiuntur. Secundæ quidem qualitates in quãcunq; corporis noſtri partem agere, & indefinite, indeterminateq; ipſam immutare poſſunt: inſuper à primis immediate ortum ducunt, nam frigiditas conſtipationem, ſeu coarctationem ſecum habet, atq; ab ea adſtrictoria uis immediate emanat, ſimiliter & caliditas fuſionem quandam ex propria natura obtinet, quam immediate rarefactio conſequitur, ac denique nõ

magnam hæ qualitates obtinent mistionem,cum à primis im mediate dependeant:ac tertiæ qualitates maiori indigent mi scella & partium apparatu,cum tres uarios effectus produce re debeant: ob id scribebat Aristoteles propè calcem quarti metheororum quòd mista eò perfectiores & plures edunt functiones, quò magis calido & frigido & eorum motionibus commista sunt: non immediate quinetiam hæ qualitates à primis, sed à primis atq; secundis dependent, & deniq; non in quamcunq; agunt partem,sed in præfinitam ob familiaritatem, inimicitiamuè, quam habent cum parte: quòd .n. medicamenta lac generent, aut humores trahant, non solum primis indigent facultatibus, sed & secundis,& quandam etiã in se miscellam habent,ac motionem maiorem,ut tertiæ hæ facultates emanent,& deniq; præfinitum membrum respiciũt, mammas nempè,& bilem flauam aut pituitam: quod itidem & de aliis huiusmodi tertiis facultatibus dicendum est. Fuere nonnulli,qui Auerrois male intellecta sententia quartum adhuc alterationis genus à prædictis tribus distĩctum statuere,atq; hanc alteratione nõ à primis,neq; secundis,neq; tertiis iunctim qualitatibus ꝓuenire aiũt,sed à tota substantia, quæ in ipsis reperitur,medicamentis,occultam proprietatem nominant,illamq; esse uoluere,quæ à Mesue cœlitus demissa dicitur,quam& purgatoriam uocant:eò quòd humores proprietate sua attrahit,& Alexiteriam,&Alexipharmacam, quoniã uenenatorum morsibus aut uenenis oppugnat . Sententiam hanc falsam esse arbitramur , & cum Galeno facultates has in medicamentis repertas sub tertio genere,ac tertiis facultatibus locari diiudicamus:& licet Auer. eorum placitis assentiri uideatur,ueruntamen neq; à Galeno,neq; à nobis dissentit : & enim is tametsi eas ab aliis tertiis facultatibus tã q̃ ex eis insigniores seiungat,non tamen ob id quartas, (ut uolunt hi) efficit. Vt autem cognoscatis,nullum aliud quartum facultatum genus à tertio distinctum reperirj,sciendum à uobis est,quod sicut in tertio facultatum genere tres erant notæ, quibus hę à secundis distinguebantur , sic & in medicamentis purgatoriis,Alexiteriis,& Alexipharmacis totidẽ,&

5.de sĩpl. med. à principio.

eædem reperiuntur: illa quidem medicamenta in primis definitam corporis partem respiciunt,& in eam agunt , sic & purgatoria in humores,& purgatoria partialia, in præfinitum humorem,Rhabarbarum namq; biliosum humorem respicit,& attrahit , Agaricus uerò pituitosum,sicut Lapis Lazuli melancholiam; idem quoq; prẹstant Alexiteria,& Alexipharmaca,hæc enim magis cor respiciunt,illa uerò aliã partem, atq; hẹc quidem magis affectum unum,quàm alium, quemadmodũ habetis tum ab Authore libelli de Theriaca
cap.4. ad Pisonem,tum à Nicandro uetustissimo medico,atq; Poeta ; quinimmo & uenena hoc habent,ut dum hominem iugilant,hæc quidem cor magis offendant, eiq; magis aduersentur,alia uerò uesicam,ut cantarides & alia istiusmodi, insuper scamonium medio calore,quod in eo uiget,fusione & attenuatione,ut pote secundis facultatibus aliam tertiam purgandi bilem facultatem exercet : cui etiam addita est tertia conditio, miscella nempè quædam maior,qua proprietatem deniq; illam in se acquirit,ac detinet,ut particulari humori, qui bilis est flaua,familiare sit, sicut eadem ex causa non nulla inimica,& aduersaria , quinimmo quædam etiam affectibus in corpore nostro aut familiaria,aut inimica sunt, sicut idem Autor testatur:& enim ueratrum coturnices non offẽdere,sed eis cibum esse scribit,at homines enecare, trifoliũ quinetiam hyacintho simile ueris tempore decerptum , mox ex aqua decoctum,&in fotu adhibitum Aranei morsibus mederi,uel Viperæ,et dolores statim sedare subiungit:at si in alio non commorso sanum locum eodem fotu circundederis, similes dolores, similem affectum ei, quem morsus efficit,cõciliare: Miscella namq; tanta est atq; apparatus in illis, ut quandam tertiam facultatem acquirant,qua ob familiaritatẽ, uel inimicitiam,quam habent cũ partibus, aut affectibus nostri corporis,effectus istos producant. Non igitur ex dictis quartæ statuendæ sunt facultates,cum hæ eædem cum tertiis existant,& eisdem participent notis, ut demonstratum est. Cur uerò hi in hunc lapsi sint errorem,causam esse putamus, quoniã notas oẽs,quæ ad tertias faciũt facultates,ignorarũt,

aut nō animaduerterunt, crediderêq; purgatoriam facultatē, alexiteriam, & alexipharmacam à tota substantia emanare, atq; ea quæ à tota proueniunt substantia, distingui ab his, quæ inter tertias facultates enumerantur: Quod quidem minime uerum est, nam licet miscella & apparatus maior offuscet primarum, & secundarum facultatum actiones, ut ea de causa à tota substantia medicamenta illa purgatoria agere dicantur, sicut & alexiteria, & alexipharmaca, non tamen & multa medicamenta, quæ ex tertiis pendent facultatibus, ea actione à tota substantia expoliantur, qua particulare membrum, aut partialem affectum uti familiarem, aut inimicum respiciunt: Sed de his, satis, non enim de simplicium medicamentorum facultatibus agere intendimus, nisi quantum tractationi de ipsis componendis conferat.

De gradibus cuiusq; facultatis, & cur, & quomodo reperiantur in medicamentis ex Alkindo Arabe.
Cap. Sextum.

CÆterum quamuis quoad formam medicamenta tres habeant hasce genericas differentias penes primas, secundas, & tertias qualitates, attamen quoniam alterationes in nostro corpore non eodem semper modo habere debebāt, cum nec etiam uno modo corpus nostrum alteretur; quantum uerò lapsum est à temperato, & à naturali temperie, tanto etiam medicamentum ab eo per contrarium labi deceat, ob id necessarium fuit medicamenta diuersos in qualitatibus excessus possidere, quos gradus, seu ordines nuncupant medici: sunt autem hi in primis qualitatibus satis conspicui, in secundis uerò & tertiis non item: cum enim mistum symmetrum & temperatum in primis sit qualitatibus, quod neq; Calefacit neq; infrigidat, neq; humectat, neq; exsiccat, si quod aut calidius, aut frigidius, aut humidius, aut siccius sit, excedat autem aut in altera tantum ex qualitatibus, aut in ambabus, quæ unà se compati queunt, non admodum euidenter, sed leuiter quodammodo, & subobscure, tale utiq; medicamē-

tum in primo ordine seu gradu dicendum erit: at si medicamentum id manifestè satis secundum unam duntaxat, aut ambas qualitates actionem suam edat, id tunc esse in secundo ordine dici poterit, quemadmodum idipsum nobiscum apertissime monstrabat Gal. Quòd si non solum manifestè, sed ualide admodum, non tamen in summo medicamenti actio fiat, medicamentum tertium habere ordinem asserunt omnes; sicut si adeo ipsius actio excedat, ut non amplius ad maiorem excessum attolli posit, tunc id in quarto reponi ordine & gradu aiunt. Hi sanè ordines, & gradus in primis qualitatibus ut inter sese hoc pactò distant, sicuti declaratum est, sic & totidem differentiæ ab eis emanantes conspiciuntur; qui etiam cum quandam habeant in se latitudinem, ut certior adhuc terminus habeatur, secundum quem in nos unumquodq; agit medicamentum, singillatim quoq; in tres mansiones distincti sunt ita ut quod præcedenti, seu temperato, remissioriuè magis accedit, prima sit mansio, quod uerò intensiori magis appropinquatur, tertia mansio, & deniq; quod medio modo inter utrunq; anteriorem .s. & subsequentem gradum reponitur, pro secunda mansione habeatur. Cęterum conueniunt Medici omnes in hoc ob diuersas ex medicamentis functiones, quatuor hos ordines, & gradus reperiri, et intra cuiusq; eorum latitudinem tres etiam mansiones concludi; uerum discordes inter sese in assignandis eorum excessuum causis extitere, quomodo nempè aliqua medicamenta primi sint ordinis respectu secundi, & quomodo quæ secundi sint respectu tertii, itidem & de tertio, & quarto; non enim dogmatico medico satis est scire, quòd hoc ita sit, sed & ratio, & causa omnium horum perquirenda, tenendaq; est. Alkindus uir inter Arabas celeber libello quodam, quem de gradibus rerum inscripsit, simplicia medicamenta, quando à temperamento recedunt, exempli gratia in caliditate ad primum gradum, & succesiue usq; ad quartum seruare quandam in augumento proportionem censuit, quæ dupla nominatur: hæc enim proportio, sicut auctioni maxime concinna est, sic & imminutioni, quando su

5. de simpl. med. propè calcem.

pra

pra medicamentum in qualitatibus excedens ad ſymmetriã, atq; temperiem condeſcendit: probabat autem ipſe concluſionem hanc longa oratione aliis proportionibus id minime contingere, quod tamen huic duplæ facillime accidit proportioni: nam conſtituatur medicamentum temperatum, ut unum calidum, frigidum ut unum, pariter & ſiccum, & humidum, quod in primo erit ordine calidum, duas calidi partes ad frigidum obtinebit; pariter uirtus qualitatis in ſecundo dominantis dupla erit ad eã, quæ in primo ordine dominatur, ut ſi in primo ſit uirtus ut duo, in ſecundo quinetiam à primo ad duplum excedet, ut pote ad quatuor cum eadem prioris frigidi portione; ita ut quandocunq; ab ea dupla remoueatur proportio, primus caliditatis denuò gradus reſultet, hac uerò ſemota æqualis, & temperata medicamenti uis reſtet. Itidẽ de tertio gradu dicendum eſt, in quo eadem ad ſecundum addita eſt proportio, ut menſura dominii huius tertii ordinis à ſecundo in duplum ſit, quadrupla uerò alterius augumenti, & octupla eius, quod in æquali temperie reperitur: cui quidem ſi duplum illud dominium ex ſecundo auferatur, reſiduum erit gradus ſecundus; ſecundo uerò ſi quis ammoueat duplum, primus remanebit; atq; ex prima tandem eo duplo ſublato æquale miſtum reſultabit, in quo qualitates omnes æquales, & pares erunt. Nec diſſimili proportione quartus excitatur gradus, ſi in duplũ ad tertium auctio fiat; cum enim in tertio gradu octupla ſit ad temperatum proportio, ſi ei tertio addatur eadem portio, reſultabit quartus gradus; atq; tunc ſexdecuplum erit ad temperatum, ſiue id ſit calidum, ſiue frigidum, ſiue humidum, ſiue ſiccum: quod enim de una dicitur, idem & de aliis qualitatibus intelligatur, atq; tunc eadem methodo, & reſolutione ad ęqualitatem id, quod in quarto eſt, ordine deducetur perinde, atq; de aliis gradibus declaratum eſt. Primus itaq; gradus ſecundum Alkindum eſt in dupla proportione, ut pote duę calidi partes cum unica frigidi, ſecundus cum una pariter frigidi portione, & quatuor calidi, tertius quando octo calidi partes cum una tantum ſunt frigidi, & quartus quandocunq;

in medicamento una pariter existente frigidi portione sexdecim calidi sunt; ita ut quartus ad temperatum sit sexdecuplus, tertius octuplus, secundus quadruplus, & primus duplus, unus tamen ad alium duplam semper seruat proportionem.

Qui sectati sunt Alkindum, & eorum fundamenta. Cap. septimum.

RAtionem hanc reperiendi ordines, seu gradus in medicamentis sequuti sunt, & insequuntur celebres quidã ex nostris Medicis eam duobus fundamentis confirmare, & magnificare contendentes. Si enim (inquiunt hi) quicquid commiscetur, ut perfectam mistionem adipiscatur, proportionem quandam habere necesse est, alioquin uanum esset id mistum, ac monstruosum, multò etiã magis, quod à natura fabricatum est, quandam necessitatem seruare opus erit, at cum duplex sit proportio, Geometrica altera, altera uerò Arithmetica, Geometrica uerò ea sit, quæ ęqualitatem conseruat neglecta excessus quantitate, ut duo ad quatuor, & quatuor ad octo, & octo ad sexdecim, tunc .n. proportio hæc semper dupla æqualis est, ac eadem, licèt excessus illi inter sese uel maxime distinguantur. Arithmetica uerò èconuerso, quæ quantitatem eandem excessus seruat neglecta tamen eadem proportione, ut cum duo ad tres, & tres ad quatuor comparamus, in hac enim excessus æqualis semper efficitur, at unius ad alterum non eadem extat proportio, medicamenta quidem simplicia non Arithmetica, sed Geometrica proportione inuicem comparanda esse subiiciunt, nam cum insignis sit inter gradum, & gradum distinctio, Geometrica potius procedendum est proportione, at non Arithmetica, quę inter ea, quæ parùm admodum inter sese differunt, spectatur: nam cum medicamentum in primo calidum moderate calefaciat, quod autem in secundo, calefaciat, & trahat, quod uerò in tertio non solùm calefaciat, & trahat, sed

& partes rubras reddat, sicut quod in quarto ultra prædicta exulceret, & ueneficum sit, in his utiq; non nisi excedentem inter sese differentiam spectamus, quam in Arithmetico excessu nequaquam uideri licet. Secundum eorum est fundamentum, quòd si daretur in medicamẽtis proportio hæc Arithmetica, non autem Geometrica, neq; graduum tres illæ mansiones, quas Gal. admittit, reperirentur, neq; dosium exacta partitio in minimam, maximam, & mediam, quam tamen omnes concedunt; cum enim gradus ad gradum per unum sẽper differat in Arithmetica proportione, & hæc leuis admodum distinctio sit, si adhuc in tres mansiones gradus diuidatur, minus quidem minimo, quod sensui dignoscitur, concederetur; quod quidem ualde erroneum est, & à philosophorum scolis explosum. Quòd autem tres doses necessariò deperderentur maxima, minima, & mediocris, comprobant hi, quoniam si gradus per unum tantum excedunt, una quoq; tantum dosis eis respondebit, non autem multiplex; at si gradus in dupla sit proportione, dosis quoq; in eadem erit proportione, ita ut quanto medicamentum erit mitius in eo gradu, tanto etiam in maiori copia concedi poterit, quanto uerò gradus ille in medicamento præpotens erit, tanto etiam in minori dosi ex eo porrigendum erit, si uerò mediocriter se habeat gradus ille, medio etiam modo ex eo adhibendum erit: sit exempli gratia medicamentum calidum in primo, quod per duo æquale superat, cum tota huius medicamenti latitudo per tres mansiones distinguatur, in totidem quoq; doses maximam, minimam, & mediocrem distinguetur, ut pote ab uncia ad quinq; ; quòd si medicamẽtum id ad primam mansionem accedat, non in minima, sed in maxima dosi, & quantitate exhibendum erit, si uerò ad tertiam mansionem non in maxima, sed in minima, sin ad secundam mansionem uergat, mediocris ex illo dosis tradetur. Cùm igitur Arithmetica gradus mansiones, & doses tollat, Geometrica uerò ea omnia adstruat, & medicamentum per hæc alterum ab altero distet, concludunt hi, medicamentorum omnium graduationem ex Geometrica AlKindi proportione tenendam esse.

5. de sĩpl. med. propè calcem.

Auerrois gra duationis modus alter, contraq; AlKindum rationes. Cap. Octauum.

5. col-lig. cap. penulti mo.

AVerroes ex alio latere Galenum æmulatus aliam graduationis rationem, & modum sectatur, oppugnatq; AlKindi sententiæ ualidissimis rationibus: uult nanq; cum Galeno in medicamentis, quæ à temperamento recedunt nō fieri auctionem hanc per duplam proportionem, sed per excessum remissioneq; contrariorum adinuicem, non quidem dupla illa proportione, sed diminutione duntaxat unius contrarii ad priorem gradum, si enim temperatum prius erat, quod in se quatuor exempli gratia calidi partes obtinebat, totidem frigidi, humidi, ac sicci, contingat uerò in calore unum quid calidi supra frigidum esse, ita ut calidi quatuor sint portiones, & tres frigidi, una deficiente frigidi parte, tunc primum adesse in caliditate gradum dicebat, neq; ob id in eo duplam uigere proportionem, sed potius sexquialteram, siue sexquitertiam, atq; hunc à nobis gradum commodè satis dignosci, quoniam licet quid calefaciat (ut inquit Galenus) non tamen euidenter, habet enim in se magnam frigidi resistentiam, ut pote triplicem ad quadruplicem actionem, ob quam in corpus nostrum non admodum agere potest: At si medicamentum id in secundo sit gradu, tale utiq; ad primum aliam partem contrariæ qualitatis imminutam habebit, ut si calidum sit in secundo, quatuor aderunt calidi portiones, & duæ duntaxat frigidi per duplam proportionem, sed non eam, quam uoluit AlKindus, cum hęc Auerrois per diminutionem fiat, illa uerò AlKindi per auctionem: & talis gradus caloris ad sensum, & euidenter satis calefaciet, cum minorem ex contrario teneat resistentiam. Quòd si medicamētum in tertio sit calidum imminuta adhuc una frigidi parte à secundo ordine, tunc erunt calidi partes quatuor, & una tantum frigidi iuxta quadruplam proportionem, in quo medicamento magnus erit caloris excessus, ut et ad ruborem carnem promoueat, nondum tamen adurat, si quidem quędam adhuc contrarii oppugnantia

5. de sīpl. med. propè calcem.

...anet, qua' talis extremus effectus prohibetur. At medicamentum in quarto calidum nullam seruat proportionem, cum omnes fermè calidi partes in eo reperiantur, parum uerò quid frigidi. Vnde non solum ualenter calefacit, sed & adurit nulla in eo existente, aut exili admodum repugnantia: quod itidem de aliis qualitatibus primis dicatur, ut copiosius diserit Auerroes. Impugnat autem AlKindi placitum hac primum ratione, quod si gradus is est, qui cum alio eandem seruat proportionem, ita ut alter alterum non excedat, neq; ab altero diminuatur, haud dubiè erit eadem distantia primi ad temperatum, qualis secundi ad tertium, & tertii ad qnartum; at iuxta Alkindum non est idem primi ad temperatum excessus, sicut secundi ad tertium, & tertii ad quartum; igitur gradus propriè hoc pactò constitui nequeunt, neq; tales eorum computationes: quod uerò non æquale sit augumentum, facile comprehendi potest, nam licet gradus omnes in dupla sint proportione, quoad latitudinem tamen inter sese ualde distant & inæquales sunt, gradus .n. tertius, & quartus cum primo aut secundo æquales esse nō possunt, cum primus à temperato, uti secundus à primo per duos tantum, tertius uerò à secundo p quatuor, & quartus à tertio per octo excedāt, quod quidem dictum nō solū uanum est, sed & in medicina maximi momenti, & erroris causa, cum ex certis gradibus uires quoq; medicamentorum præfinitæ habeantur, his uerò indefinitis & ipsæ sint indefinitæ atq; ignotæ. est & altera Auerrois ratio, qua eandem destruit AlKindi computationem, quòd si uerus esset is graduationis modus, medicamenta tertii ordinis si congrua quātitate propinata necessariò interficerent, cum enim à temperato ad tertium gradum exempli gratia calidum ut octo simplex medicamentum excedat, & una sit illi duntaxat frigidi portio, aut ea frigidi pars non poterit agere in octo calidi partes, sed in octauam tantum, aut in omnes insimul: si primum dicas, septem igitur illesæ, ut & quæ quarti sunt ordinis, corporiq; appositę ualidissime agent, nullo quippè ipsis oppugnante contrario, ac proinde adurent; at si portio fri-

gidi in omnes aget partes, cum actio & reactio fiat (ut inferius fusius ostendetur) non poterit tantum ex calore remittere, quin adhuc septem caloris partes relinquãtur, quæ corpus ipsum necessariò interficient.

Iudicium circa utriusq; sectæ rationes, & quomodo AlKindo, & sequacibus sit respondendum. Caput Nonum.

HÆ duæ sunt de gradibus medicamentorum contrariæ sectæ, altera quidem Iacob Alkindi,& sequacium, altẽra uerò Auerrois, & cum eo Galeni. Sed quæ nam ex his uerior est,& rei naturæ magis accomodata? Putarem ego sententiam Auerrois ualidioribus esse suffultam rationibus, miror uerò AlKindi stupiditatem, qui hæc non uiderit absurda, dum illam machinatur graduationem,at magis admiror nostrorum medicorum præstantiam,qui Auerrois rationes non perpenderint,& eis respondere neglexerint: Neq; uelim putetis AlKindi rationes, & sequacium corroborationes quicquam aduersus Galenum & Auerroim facere, cum omnes facile dissolui queant: quòd enim augumentum id naturale sit (ut inquit AlKindus) ac proinde decrementum, iuxta quæ singula quæq; apte satis ad temperiem deducuntur, uanum est fundamentum, non enim in numeris gradus hi, sed quantitatibus & solidis corporibus reperiuntur, ita ut sicut figuram unam altera albidiorem dicimus, sic & medicamentum aliud alio calidius,aut frigidius,aut humidus aut siccius, siue id sit secundum unam, siue aliam proportionem,& sicut per quandam similitudinem excessus in qualitatibus ad excessus quandoq; in quantitatibus referuntur, ut testatur Aristoteles in prædicamentis,hoc quidem multum albo,aut multum calido secundum accidens uocato,& Galenus ueteres quandoq; magnam febrem,& paruam nominare consueuisse, sic &nonnunquá gradus medicamentorum ad numeros referuntur,quando medicamentum id per duos numeros illud uerò per tres aut quatuor ab ęquali temperie dilongari aiunt,

primo de diff. feb.ca.i.

quod & Gal. libris de compos. medicamentorum, & alibi sępius obseruat. At nonne Arithmetici & Musici non solum dupla, seu diapason utuntur proportione, uerum & sexquitertia,& quarta & istiusmodi aliis, quæ dupla seu diapason insuauiores,& deteriores non sunt?ut superuacaneum sit medicamentorum gradus ad solas has harmonias referre. Grauius adhuc errarunt posteriores medici, qui Geometrica procedendum esse proportione sustinent, eamq; ab Arithmetica seiungunt,quòd Arithmetica proportio excessus quantitatem seruet, neglecta tamen dupla proportione, contrà uerò Geometrica dupla semper sit, æqualis,& eadem, licet excessus diuarietur, nam ex Boethio Arithmetica est in quantitate discreta,Geometria uerò in continua,medicamenta uerò non in numeris propriè sed in continuis qualitatibus reposita sunt & sicut in Arithmetica, & Geometria, non solum dupla est proportio,sed multiplex,superpartiens, super particularis,& alia huiusmodi,cur & in medicamētis hæ alię proportiones haberi non poterunt? At quoniam hi duas adstruūt aduersus oppositam Auerrois sententiam rationes, ut nil scrupi in animis uestris deseratur, utrisq; satisfaciemus; erant autē hę, quod si daretur hæc graduationis methodus per Arithmeticam proportionem,ut statuit Auerroes,graduum tollentur mansiones, insuper doses in maximā, minimam,& mediocrem non distinguetur; consequens primū nullum certè est,nā licet primus gradus quoad sensum supra temperatum non percipiatur, eumq; talem esse dicamus, quando pars una calidi exempli gratia supra frigidum excedit, ex parte tamen rei, quod magis ad temperatum accedit,in prima eiusdem, quod uerò ad secundum ordinem,in postrema, sicut quod in medio cōsistit, in media erit mansione: quod quidem confirmat Galenus de tertii ordinis ex calefacientibus & exiccantibus scribens: In his autem ipsis quędam uicina iam sunt adurentibus, ut squama æris, & æs ustum, quasi inter tertium, & quartum ordinem dubiè hæreant, in medio tertij est æs ustum, si lotum sit, in principio tertij hypocystis, sic autem in secundo, & quar-

5. suæ arithm. cap. 21. & 22.

5. de sīpl. med. in fine.

to differentias constituere licet triplices, neq; enim proin de urit, ut cauterium, ac napy, licet ambo quarti sint ordinis: Ex quibus uerbis colligere licet apud Galenum non tā tam esse ab uno ad alium gradum distāntiam, ut isti apertissime prædicant, atq; tres has mansiones in singulo ordine reperiri medico duntaxat in arte ualde exercitato conspicuas. Alterum uerò consequens falsum quoq; est, dosium quantitatem minimam, maximam, & mediocrem ex Auerrois graduatione deperdi, contrà uerò ex ampla gradus latitudine conspici: non enim doses teste Galeno ubiq; libro de compositione medicamentorum ex graduum latitudine habentur, sed ex peculiari hominis natura, eiusdemq; magnitudine, densitate, & raritate, habita etiam ratione regionis, tempestatis, celiq; status, & consuetudinis, & (si medicamentum sit purgans) ex humorum euacuandorum modo, situq; . nam si non ex his, sed ex gradibus haberetur quantitas, facilis utiq; in medicamentis eius inquisitio esset, neq; (ut Gal. testatur) ad singulorum quantitatem reperiendam artificiali egeremus coniectura; quandoquidem habito exempli gratia (ut ipsi asserunt) quòd medicamentum in prima sit primi ordinis mansione, unciam statim ex eo porrigendā intelligemus, hæc enim illius gradus maxima est portio, cum tota eiusdem quantitas à scrupulo sit ad unciam, minima uerò ipsius scrupulus, & mediocris, quæ inter utramq; quātitas est. Veruntamen Galenus aperte scribit difficile admodum esse medicamenti qualitatem discernere, propterea quòd, & hominis natura, ad quam medicamentum refertur, est perpendenda, quæ modo maiorem, modo minorem medicamēti portionem requirit; insuper & corporis magnitudo est cognoscenda, densitas, raritas, & alia istiusmodi, de quibus superius mentio facta est: ob id Gal. de hieræ compositionis quantitate normam tradens scribebat: Datur ad summum ex pharmaco hoc drachma una cum aquę cyathis non pluribus, quàm tribus, minimum uerò dimidium eius præbetur: Datur & intra hoc modos quantitate iuxta ætatem, corporis magnitudinem, & anni tempus permutata: Et in consilio il lo

[Margin: 2. d rat. uict. in acut. 38]

[Margin: 2. de comp. med. p lo. cap. de dol. cap. ex stomaco.]

to de Puero Epileptico in oximellite modicam aceti partem imponit, quippe qui ad puerorum naturam respicit, qui tantam in eo acrimoniam non sufferunt, non autem ad medicamenti mansiones tantum, ut hi Viri celebres existimarunt. Sed de his dosibus inferius quoq; sermonem habebimus, sat autem uobis sit in præsentiarum intellexisse contra istorum sententiam doses has non adeo ex gradibus & mansionibus, sed & aliis pendendas esse.

Nunquid in secundis & tertiis qualitatibus gradus quatuor reperiantur, examen. Cap. Decimum.

REiecta itaq; medicamentorum graduatione ex Al-Kindi & nostrorum medicorum sententia sustineatis cum Galeno, & Auerroe quatuor istos gradus excrescere, dum semper aliqua contrarii pars imminuitur, reliqua uerò pars contrariæ qualitatis stabilis, & firma manet eo modo, quo declaratum est, dariq; inter gradum, & gradum tres mansiones, quarum altera magis ad unum, altera uerò magis ad alterum uergit, tertia uerò magis in medio consistit. Nùm uerò sicut in primis qualitatibus, sic & in secundis, & tertiis gradus hi quatuor reperiantur, ita ut hæc quidem medicamenta in primo ordine rarefacere, adstringere, lac promouere, purgare aluum, siue humores educere dicantur, hæc uerò in secundo ordine, atq; alia in tertio, & quarto, inquirendum à nobis est. Auerroes de medicamentis loquens Medicos increpat, qui sicut in primis qualitatibus quatuor gradus statuunt, sic & in reliquis eos non constituunt. Clarissimus Fallopius in suo de compositione medicamentorum libro censuit non solum alios medicos huiusce fuisse sententiæ, sed & Galenum, atq; ob id in his reuera nõ admitti gradus ob exiguam eorum diuariationem, & enim excessus hi in raritate & adstrictione concedi nequeunt, cum corpus nostrum neq; rarius neq; adstrictius quarto ordine possit euadere. Quare & ipse arbitratus est cum aliis latitudinem horum graduum in secundis, & ter

5. lib. coll. c. 34. & 57.

tiis actionibus minime concedendam esse, atq; hoc fuisse Galeni placitum. Verum sum ego huius mentis præstantissimum Fallopium deceptum fuisse, & si Auerroes idipsum intelligit de Galeno, ut & de aliis medicis eum quoq; aberrasse: & licet non ita sæpe, ac clarius, ut de primis qualitatibus, sic & de secundis, & tertiis Galenus statuat gradus, eos tamen admittit, scribit nanq; nõnulla debilius abstergere, & meatus expurgare, quædam uerò ualde admodũ, & alia adhuc magis: nã fabacea, hordeaceaq; farina moderate abstergit, his uerò adhuc magis erui, lupinorũq; farina, atq; adhuc magis semen urticæ, & iris, atq; adhuc magis nitrum, & aphronitrum, quasi inferat ipse medicamenta hæc uiribus inter sese per gradus distare, ut & quoad primas qualitates: sed si clariorem uultis Galeni mentem adeatis ubi specialem mollientium medicamentorum differentiam præscribit inquiens: Ex mollientibus compositis, alia quidem (ut ita dicam) imbecilliora primo ordine statuuntur, quædam uerò non multo his ualidiora, secundo, & quædam alia, tertio, adhæc nonnulla, quarto: Mox uerò subiungit, quomodo his utendum sit ad uarios affectus scribens: Cæterum primi ordinis mollientibus ad exiguas durities, & in mollibus, seu teneris corporibus uti, sicut prædictum est, expedit ad fortiora his corpora, & affectus, secundi, quemadmodum & tertij & quarti pro illorum qualitate. Apponit deinceps Gal. quæ primi, quæq; secundi ordini sint emollientia idipsum subiungens statui posse in emollientibus iuxta tertiũ, & quartum gradum, dummodo medicus sit studiosus, & ueritatis amator: Quod itidem ostendit de facultate dissoluente, in qua & magis, & minus ob secundas in medicamentis qualitates reperiri potest: Quod & in medicamentis soluentibus est obseruandum, cum alia parùm soluant, alia adhuc magis, & alia uehementer, & deniq; in summo ordine & gradu: Quòd si qua sunt medicamenta, ut adstrictoria, & rarefactoria, in quibus excessus hi in estremo non apparent, nõ ob id tamen ex parte ipsorũ uires hæ in summo, occultæ tamen negandæ sunt, ut Clarissimus censuit Fallopius.

5. de sĩpl. med. cap. 12.

7. de cõpo. med. per gen. ca. 4.

Quibus ſenſibus cognoſcantur medicamentorum facultates omnes. Cap. Vndecimum.

CÆterum & ſi in nobis quinque ſint ſenſus, quibus medicus percipere poſsit, ſub quibusnam primis, ſecundis, aut tertijs qualitatibus, nec non ſecundum quos gradus ſingula medicamenta reperiantur, uiſus nempè, auditus, odoratus, guſtus, & tactus, multotiens tamen ſi ea uiſu auditu, & odoratu offerantur, falſa imaginatione decipiemur, guſtu uerò, ac tactu non item: ſiquidem quoad uiſum ſpectat, complura candida ſunt, quæ modò quidem calida, modò uerò frigida temperie conſtant, nix enim frigida eſt, calx uerò calida; auditus quinetiam medicum plerumq; decipit, quoniam ſonora quędam ſunt, alia inſonora, quæ diuerſis, & contrarijs qualitatibus tum primis, tum ſecundis, & tertijs participãnt; ex odoratu uerò quandoq; fallitur medicus, dum fætida, aut bene odorata eadem eſſe arbitratur, cum tamen oppoſitis qualitatibus certent. Ex his itaq; ſenſibus quamuis quæpiam nonnunquam coniectura habeatur, ea tamen inconſtans eſt, atq; inualida: at tactus & guſtus, qui ab Ariſtotele quidam etiam tactus cenſetur, medicamentorum facultates ſemper & rectè diiudicant, ab his namq; non tantum ſimplicium temperies quoad calidum, frigidum, humidum & ſiccum, ſed & reliquæ omnes ſecundæ, & tertiæ qualitates eliciuntur. Huius autem ratio aſsignari poteſt, quoniam medicamenta ſiue actu, ſiue poteſtate talia duobus illis ſenſibus, ut reuera ſunt, manifeſtisſime ſeſe offerunt: Tactus nanq; omnes tactiles qualitates, prout reuera ſunt, appręhẽdit, ut pote caliditatem, frigiditatem, humiditatem & ſiccitatem, earumq́; diſtinctionem non ſolum quoad gradus, ſed & graduum manſiones ſtatuit; & licet tactus quoad temperiem uarius ſit, ut rectè teſtatur Gal. ut tamen ueras medicamentorum uires, & qualitates dignoſcamus, primum quidem hæc in temperato tactu, & corpore, mox in intemperatis, & poſtremò in morboſis corporibus perpendenda ſunt, hoc. n. pactò quomodo medica- 1. de ſi- pl. med. cap. 4.

mentorum qualitates primæ, secundæ, & tertiæ uarientur, certò sciemus. Gustus quinetiam plurimas tum primarum tum secundarum, & tertiarum differentias obseruat, quas ex uariis saporibus deprehendit; quales enim sunt in medicamentis qualitates, tales etiam mediantibus saporibus gustui nostro repræsentãtur, ut quasi proprietates quædam sapores sint primas & secundas & tertias necessariò qualitates consequentes; qui tamen sapores qualitates non sunt, ut ab eis corpus nostrum necessariò alteretur, ut prædictum est, sapores namq; ut pote dulcedo, aut amaror nil ad sanitatem, aut ęgritudinem conferunt, sed solum quæ ab his emanant, aut primæ, aut secundę & tertiæ qualitates: hi autem sapores ad earum faciunt cognitionem, & in gustum uario modo impressionem relinquentes, complures etiam qualitatum differentias constituunt: cum enim sapor ex Theophrasti sententia sit enapomorxis, seu, ut alii legunt, enapomixis hoc est impressio, seu immistio sicci & terrei in humido, seu diithisis hoc est, percollatio sicci per humidum à calido, utroq; nanq; modo Theophrastus saporem diffiniri posse, easq; diffinitiones fermè in unum coire arbitratur, quot modis fiet impressio in gustu, aut immistio sicci in humido, aut deniq; siccum terreum percollabitur per humidum à calido, totidem etiam differentię harum omnium qualitatum aderunt. Atqui sicut gustus sapores hos uarios distinguit, atq; cognoscit, sic & differentiæ ab his emanantes à nobis dignoscentur primas, & secundas, & tertias qualitates repręsẽtantes: cum enim in saporibus, ex Aristotele, & Theophrasto tria concurrant humidum, uelutj subiecta materia, siccum terreum, quod in humidum recipitur, & calidum, quod siccum terreum permutat, & ad humidum promouet, in ipsumq; compingit; quod & dilucidissime monstrabat Alexander Aphrodiensis ex uariis aquarum differentiis, quæ hunc in modum sapidæ multifariam fiunt, quotupliciter hæc tria uariabuntur in medicamentis, totidem erunt saporum species, ex quibus mox singulæ facultates in omnibus qualitatibus existentes emanant, ut enim si plurimum adsit terrei, quod

6. de caus. plant. cap. 1.

lib. de sens. & sensili.

libello de mistione.

parum à calore alterante excoctum sit in parua humidi copia, sapor acerbus, siue adstringens, siue ponticus apud Arabas repreſentatur, sic certò diiudicamus in eo medicamento adesse plurimum frigidæ qualitatis, parum uerò caloris, nec non plurimum sicci cum pauco humido; quo uerò ad secũdas qualitates adstrictionis plurimum; ac proinde medicamẽtum id uim habere densandi, exasperandi, infarciendi, sistendi, & alia istiusmodi operandi: pariter si siccum terreum in paruo humido à ualido calore extenuatum sit, & penè ad ignis naturam conuersum, sapor hic acris, siue acutus gustui repræsentabitur, ipsum non solum calefaciens, uerum et humorem linguæ quodammodo eliquans, & totum deniq; os inflãmans, atq; adurens; & tunc diiudicabit medicus plurimũ ex calore in eo uigere, exiguum uerò frigidi, pariter parum admodum adesse humidi, neq; magnam sicci copiam, attenuatam tamen, & à calore elaboratam; qualitates uerò ei adesse secundas, quibus uis insit fundendi, liquandi, escharam inducendi, & id genus efficiendi: Et quemadmodum ex his extremis saporibus à nobis ostensum est qualitates omnes dignosci posse, id ipsum quoq; in aliis mediis saporibus fieri existimate, de quibus hoc loco non amplius differemus, cum de ratione componendorum, non autem de simplicibus medicamentis agere instituerimus: quæ uerò de saporibus hucusq; à nobis tacta sunt, ea tantum satis esse possunt, quantum ad cognitionem faciunt eius, quod proposuimus, tactum nimirum, ac gustum ueros esse iudices omnium in medicamentis qualitatum, aliàs enim, si dabitur occasio, uberius de saporibus tractationem faciemus. Itidem dicendum est de differentijs, quę in medicamentis reperiuntur, penès eorum materiam subiectam, cum enim hæ eliciantur aut ex propria elementorum substantia, quæ unà immiscentur, tenuis enim alia substantia est, & alia crassa, atq; alia mediocris, aut ex modo eorum substantiæ, cum alia medicamenta raræ sint substantiæ, & alia densæ, & nonnulla secundum quendam modum medium, aut ex elementorum quantitate, & mole,

qua hæc quidem medicamenta sunt leuia, hæc uerò grauia, & alia inter hæc media, aut deniq; ex elementorum connexione, unioneq;, qua hæc quidem lenta sunt, hæc uerò friabilia, & quædam ex his mediocria, differentiæ utiq; hæ omnes nonnisi ex tactu & gustu haberi, comprehendiq; possunt, & enim neq; uisus, neq; auditus, neq; odoratus has rectè differentias apprehendere queunt.

In medicamentis simplicibus diuersas esse facultates, & cur, & quomodo.

Caput Duodecimum.

CÆterum cum medicamenta ad corpus nostrum referantur, eiq; auxilium præstare debeant, contingat uerò multotiens ex uarijs causis diuersas alterationes, et impressiones in ipsum moliri, hinc factum est à natura, ut in uno simplici medicamento ex diuersis tamen partibus secundum temperies composito diuersæ quoq; facultates tum primæ,
2.Cano tum secundæ, & tertiæ reperiantur: quod quidem Auic. exē
nis c. 1. plo lactis monstrabat, lac enim licet unum quid simplex à natura constitutum uideatur, est tamen commistum quoddam ex pluribus partibus, quæ uarias etiam habent temperies, pars enim serosa diuersa est à parte caseosa, & butyrosa, siue sustineamus cum Galeno partem caseosam ad frigi-
5.de sī- dum declinare, pinguem uerò & butyrosam ad mediocrem
pl.med. calorem, & serosam ad frigidum humidum, siue cum Auicen
c. 17.& na, qui serosam calidam, pinguem & caseosam ad æqualita-
x.eusdē tem uergere est arbitratus. Proinde naturalis hæc composi-
cap.pro tio ex uariis temperiebus, & partibus conflata duplex esse
prio. potest, ut idem Auic. scribebat, alia quidem, quæ ex partibus, seu temperiebus adeo adhærentibus constat, ut adinuicem neq; arte, neq; alio ingenio seiungi queant, camomællum namq; & oleum partes adeo adhærentes, unitasq; habet, ut quamuis camomællum uires duas habeat dissoluentem, & adstringentem, quæ inter sese distant, altera tamen ab altera seiungi nequit: pariter & oleum partes habet, quæ igne

nequaquam separari possunt: alia uerò est compositio ex partibus, quæ facile admodum separationem admittunt, quẽ admodum est lac, in quo partes adsunt, ut supra dictum est, quæ facile igne seiungi queunt; separatur nanq; prompte serosa pars ab unctuosa, & caseosa. Hinc fit, ut quæ medicamenta, & alia composita naturalia secundum partes facile segregantur, prompte satis etiam putrescant, & corrũpantur, quæ uerò difficulter, aut nequæquam separantur, licet ętherogenea sint, aut ineptius, aut numq̃ putrescant, & corrumpantur, ut aurum, & oleum. Neq; putetis uelim medicamenta secundum primas tantum componi qualitates, secundas, & tertias, ut declaratum est, uerum & secundum diuersam materiam atq; substantiam, Rhabarbarum enim licet simplex uideatur medicamentum ex simplici constans substãtia, est tamen compositum non solum secundum qualitates primas, secundas, & tertias, quibus calefacit, & infrigidat, aperit, & adstringit, euacuat, & fluxum sistit, uerũ secundum materiam tenuem, & crassam raram et densam, grauem, & leuem. Porrò medicamenta ipsa hunc in modum à natura sunt constituta hac potissimum de causa, ut homo eis commode uti possit ad uarios, & contrarios affectus restinguendos, qui in uno corpore, eodemq; tempore multotiens reperiuntur.

Cur medicamenta simplicia arte componantur, quibusq; ex causis. Cap. Decimumtertium.

CAEterum quoniam non semper eis sic à natura productis uti contingit uariis ex causis, quæ dum illis utimur, medicum à scopo aberrare compellunt, ob id ars cõponendi à medicis inuenta est, qua naturam æmularentur, compositionemq; ex simplicibus medicamentis pararent: Nùm uerò eadem esse posit, qualis à natura intenditur, cõpositio, in nostro de Theriacæ compositione libello clarius absoluimus, & si quandoq; dabitur opportunior occasio,

nonnihil dicemus: Componuntur autem ſimplicia medicamenta à medico duplici potisſimum ex cauſa, aut ob actionem, quę in noſtro corpore fieri debet, aut ob iuuamentum, & uſū, quē aliquod medicamētū ſimplex alteri medicamento ſimplici, uel toti etiā cōpoſito præſtet. Vt .n. in noſtro corpore ſunt inſtrumenta, quæ licet uni inſeruiant functioni ex pluribus tamen ſimiliaribus partibus conficiuntur, quarū quædam actionum principia ſunt, & pręcipuæ partes, aliæ pręcipuis uſum præſtant, eiſq; adminiculantur, exempli gratia in oculo adeſt cryſtalloides humor, qui ipſius præcipua pars eſt, à cuius temperamento uidendi facultas prouenit, reliquæ uerò partes eis ſuffragantur, uſumq; præſtant, ut totus oculus exactam functionem promat; nec ſecus in medicamentorum compoſitione quædam ſunt, quæ in corpore actionem moliuntur, quædam uerò uſum, & adminiculum præſtant, ut medicamenti compoſiti operationes perfectiores fiant. Atq; Medicamenti actio in duobus præcipuè cònſiſtit, primū q dem, ut aſſequamur, qđ intendimus, ſecundū uerò, ut tantū agamus, quantum intendimus: uſus uerò in relatione pendet ad principale medicamentum, & functionem, quæ introduci debet: quæ ſanè relatio quinq; modis eſſe poteſt, aut ut actioni iuuet tum quoad qualitatem, tum quoad quantitatem, aut ut corpori nulla noxa inferatur, aut ut citò, tardeuè prout medicamentum expoſtulat, agat, aut ut medicamentum gratius reddatur, aut deniq; ut ad longum tempus conſeruetur. Vt uerò aſſequamur, quod intendimus, ſpectandæ à nobis primæ medicamentorum differentiæ ſunt, quæ ab omnibus primis, ſecundis, & tertijs qualitatibus ortū ducunt, & cum affectibus comparandæ, quæ noſtrum corpus affligunt; quibus & ſi quandoq; ſimplicibus medicamentis oppugnare contendimus, fine tamen quandoq; fruſtramur: Qua de re ut affectus è corporibus ammoueamus, tunc temporis ad compoſitionem ex ſimplicibus medicamentis confugere cogimur; neq; enim ex Auerroi in uno ſimplici medicamento ad curationem, conſeruationemuè cuiuſpiam compoſiti affectus ſiue ſimilis, ſiue disſimilis, ſiue contrarij facultates

5. collig. c. 57

cultates

cultates sufficiunt, quinimmo neq; etiam si simplex sit affe-ctus ex Galeno quandoq; simplex aliquid habemus, quod ei ad unguem satisfaciat, medicamentum. Quod quidem facil lime monstrabimus, si prius supponamus, quòd cum affe-ctus præter naturam in curatione & pręseruatione tres sint, ægritudo, causa, quę ipsam producit, & symptoma, quod morbum consequitur, in conseruatione uerò aut totum cor pus, aut eius membrum quippiam conseruemus, hæc utiq; dicta multifariam coniungi possunt, dum eis auxiliamur, aut morbus cum causa, aut causa cum causa, aut morbus cum morbo, uarijsq; medicamentorum compositionibus egent: De symptomate enim nullam mentionem facimus in his complicationibus, cum id, qua symptoma est, nullam auxi liorum rationem exposcat, ut Gal. sępius libris methodi me dendi dicere solitus est: quòd si id fortè remedium aliquid exposcit, ut syncope, & dolor ingens, & id tale genns, ei utiq; non quà symptoma, sed quà causæ, aut morbi rationem su-bit, auxilium præstamus: Insuper supponendum est, quòd cum unumquodq; horum cum altero connexum aut simile, aut dissimile, aut contrarium esse queat, simile si simili ne-ctatur unum compositum exposcet auxilium, dissimile cum dissimili aliud, & contrarium cum contrario pariter aliud. Vt enim uariabuntur scopi, sic & medicamenta componendi ne cessitas, similes namq; affectus similibus coniunctis medica-mentis egebunt, dissimiles uerò dissimilibus, atq; contrarij de niq; contrariis. Etenim si contingat morbum causæ conue nire, ut in ardenti febre, hęc enim calida est, & sicca intem peries, & causa pariter bilis flaua calida & sicca, in his duo bus affectibus similibus medicamento indigebimus composi-to ex similibus, quæ unà iuncta eam præstent actionem, quam unumquodq; eorum seiunctim prestare nequit: nam si sint duo medicamenta simplicia, & similia, utpote frigida & humida, ut prędictis oppugnare possint uerùm alterum tenuium sit partium, alterũ uerò crassarum, ita ut qđ tenuiũ est partium, facile admodum dissolui queat, & imbecillum reddi, quod uerò crassarum est partium, non ita pene-

2. meth. med. cap. 2.

5. col- trare neq; ad actum deduci possit, ut & Auerroes demon-
lig. c. 57 strabat, hoc quidem casu utroq; medicamento inuicem misto, crassius quidem à tenui ad actum facilius deducetur, tenue uerò à crasso robustiorem actionem suscipiet. Quòd si causa similis sit causæ, ut exempli gratia bilis flaua peccet, & multum etiam adsit calidi & sicci excrementi, tunc codẽ modo similia commiscenda erunt, ut pote scamonium cum Rhabarbaro in infusione, aut si eos humores ad contrarium immutare uoluerimus, frigida & humida frigidis & humidis admiscebimus: pariter si morbus cum morbo simili uniatur, ut inflammatio cum Erysipellate, tunc ut prædictis morbis obsistamus duobus iunctis medicamentis utemur, quæ similia interse erunt ad uigorandam eorum actionem, quæ unico medicamento præstari minime posset. At si morbus à causa dissimilis sit, ut in inflammatione cum materiei affluxu, inflammatio namq; propriè est tumor, qui à sanguine pendet, uel si eam pro quodam uniuersali ad quoscunq; humores accipiamus, affectus hic dissimilis est, non tamen contrarius ei materiæ, quæ ad locum fluit, & morbum, seu tumorem producit, in casu hoc medicus cogitur composito uti medicamento ex dissimilibus, ut ex his quædam affectui oppugnent, ut pote refrigerantia, quædam fluxioni materiei obsistant reprimendo, & densando, ne materia ad locum affectum confluat: Vnde sicut duos scopos dissimiles habebit refrigerandi & reprimendi, sic & compositum medicamentum ex his duobus refrigerantibus, & reprimentibus constabit. Quòd si causa cum causa coniuncta sit dissimili, ut pote sanguis, & pituita, sicut causæ hæ contrariæ non sunt, sed solum diuersę, sese enim compati possunt, sic & medicamenta admiscenda erunt, in quibus reperiantur repellentia ob sanguinẽ cum attenuantibus ratione pituitæ crassæ, & suapte natura uiscidæ. Cæterum si morbus causæ contrarius sit, ut in febre pituitosa, febris enim qua febris morbus calidus est, & siccus, eius uerò causa pituita nempè frigida & humida, hoc quidem casu medicus cogitur medicamento uti composito, in quo & frigida sint, & calida attenuantia, frigida quidem ha-

mida ratione febris, moderate uerò calida & attenuantia ob pituitam crassam, frigidam, & humidam: si uerò causa causę opponatur, ut in corpore ratione uentriculi phlegma uigeat, ratione uerò hepatis calidioris, flaua bilis abundet, hoc etiam casu medicamenta frigida & humida cum siccis admiscemus, aut si utranq; causam abscindere intendimus hieram cum agarico propinamus: Vnde et nostri sæpius pillulas de tribus cum Rhabarbaro ægrotantibus bile flaua, atq; pituita porrigunt. Si uerò morbus contrario morbo coniunctus sit, ut in frigido, & calido morbo, qualis est hemitriteus febris dicta, quę ex colera flaua, & phlegmate immiscetur, tunc pariter infrigidantia cum calefacientibus adhibemus. coniungitur quinetiam quandoq; curatio conseruationi, quæ alicuius sit mēbri ratione, quod conseruari necesse est, aut ob proprium temperamentum, quod magnam corpori utilitatem præbet, aut ob eius nobilitatem, atq; præstantiam, aut ob consensum, quem cum alio obtinet, atq; his omnibus casibus necessaria est cōpositionis medicamentorum methodus: sit enim quis hectica febre laborans, ob quam & uentriculus intemperie calida & sicca afficiatur, ratione quidem febris hecticę exhibenda essent frigida & humida, at quoniam ob partem alter contrarius scopus habetur, ut uentriculum nempè seruemus, eiusq; naturalem foueamus calorem, ut toti corpori alimoniam præstet, ob id medicamenta frigida & humida cum moderate calidis, & adstringentibus moderabimur: pariter in tussi, quæ ex humore uiscido, & adhærente asperæ arteriæ producta est, humor quidem ille attenuationem, & incisionem rebus calidis & siccis expostulat, at pulmo natura lenis mollientibus indiget, quæ humida, & mollia sunt, ita ut ambo medicamenta inuicem iuncta à medico non nisi sint adhibenda. Ratione uerò præstantiæ, & nobilitatis membri pro curatione, & conseruatione compositis medicamentis utendum est, quando cerebrum apostemate calido affectum est, aut quando hepar ex frigidis humoribus infrigidatum, tunc enim pro curatione apostematis calidi in

frigidantibus opus est, & pro pellendo hepatis morbo euacuatione humorum egemus; uerum cum utrumq; uiscus membrum præcipuum sit, alijs quoq; medicamentis pro
13. meth. med. cap. 16. eorum custodia indigemus (ut & Gal. quandoq; dicere solitus est) cerebrum quidem moderate calidis, hepar uerò adstringentibus, ut utriusq; facultas & robur seruetur. Nec secus componenda sunt medicamenta pro parte seruanda, quæ in consensum cum altera trahitur parte, quandoquidem si os uentriculi calida affectum sit intemperie, pro ea uerò extirpanda frigidis utamur, nisi etiam eis admisceamus calida, cerebro nocebunt, quoniam uētriculi os cum cerebro communionem habet suapte natura frigido, & humido, ut medicamentorum frigidorum natura facillime ad ipsum pertranseat, eiq; nocumentum inferat. Cogimur postremò medicamenta commiscere non ratione affectuum complicatorum, neq; ratione conseruationis, atq; curationis, sed ob simplicem morbum, cui nullum aliquando simplex medicamentum aptare possumus, sed tale erit morbo simile, nocuumq; quodcunq; ei apponas, quemadmodum uos docebat
3. meth. med. cap. 2. Galenus exemplo ulceris caui, si enim pro carne gignenda, seiunctim sumantur erodentia, aut lenientia, aut infrigidantia, aut quid tale operantia, nunquam certe proficient, at si admisceantur insimul ærugo, cæra, & oleum, medicamentum conficietur sarcoticum, quodq; separatim unumquodq; eorum prestare non poterat, compositum ex illis concinnum admodum erit.

Quomodo mistum medicamentum plures effectus producat, & quomodo dissoluto medicamento una pars uni, & altera alteri affectui conferat. Cap. Decimum tertium.

VErum quis fortè uestrum à me petat, quod si ob diuersas functiones, quæ in corpore nostro fieri debent,

medicaměta ſunt componenda,ut pluribus ſimilibus aut diſimilibus affectibus opituletur, quomodo ea præſtare poſſint?quoniam ſi ex ea miſcella una producitur forma, quæ ex contrariis qualitatibus refractis reſultat,cum unica forma non niſi effectum unũ producat,igitur neq; diſsimiles neq; cõtrarios effectus pariet,ac proinde neq; morbis neq; cauſis diſſimilibus,aut cõtrarijs,ut determinatũ eſt, auxiliabitur: ꝙ ſi dicatur ad unicam formam miſtũ id non deduci, illud utiq; propriè miſtum diſcendum non eſt, ſed ſolum quidam ſimplicium medicamentorum adhæſus, et compoſitio, qualem in aceruo tritici et fabæ conſpicimus, hæc enim cum improprie compoſitio dicenda ſit, ut Alexander aphrodiſienſis libro de miſtione fuſius explicauit, neq; etiam miſtio nominanda erit, ſed potius corporum illorum ſimplicium, quamuis imminutorum iuxtapoſitio. Quòd ſi hanc quomodocunq; compoſitionem admittamus,adhuc aliud perſcrutandum relinquitur, quonam pactò aſſumpto hoc medicamento in corpus, & diſſoluto à natiuo calore, hęc quidem medicamenti pars uni affectui proficua ſit, eiq; opituletur, quæ uerò alteri opem ferre debet, ei ſuccurrat? nam ſiquis dicat, quòd medicamenti partes ad hoc illuduè corporis membrum ex ſe uadunt, conſequetur neceſſariò,tàm unam, quàm aliam medicamenti partem quodcunq; membrum occupaturam eſſe, tàm igitur iuuabit, quàm & nocumentum inferret: quòd ſi dicat, partes præter naturam affectas trahere, quod ſibi utile futurum eſt, ut eo contrario nocuum expellant, partes enim frigidæ calidam medicamenti portionem trahent, ut frigidum præter naturam expellant, contrà ex hoc placito id maximum incommodum ſequetur partes noſtri corporis cognitione agere, cognoſcent & enim ob contrarii expulſionem contrario utendum eſſe; inſuper pars ſana numquam nocuum trahet, utpote opium, uenenum, & id tale genus: atq; ob id nullo pactò à contrariis offendetur: cum tamen uenenum aſſumptum, & alia iſtiuſmodi à membris ſanis trahantur, & deniq; hominem iugulent, ut experientia compertum eſt. Vt primæ difficultati propoſitæ

satisfaciamus, sciendum à uobis est, mistionem ex Alexandro libello præcitato triffariam sumi, aut quando plura miscibilia corpora inuicem miscentur sola iuxta positione facta sine alteratione, ut dum fabæ tritici aceruo uniuntur, aut quando hæc quidem, aut similia mutuò miscētur, sed per quandam alterationem, sine tamen alicuius tertii productione, ut dum uinum aquæ miscemus, aut acetum melle, tunc enim alteratur quodammodo uinum, & aqua, mel & acetū, non tamen ea alteratiò sufficit, ut tertium quid fiat, sentitur namq; aqua cum uino, & acetum cum melle, aut quando non solum plurium corporum iuxtapositio, & alteratio fit, sed & forma quædam noua resultat ab omnibus distincta, quæ in mistione reperiuntur, ut quando ex pane & uino chylus fit, qui ex oībus miscibilibus iuxtapositis, & alteratis ad tertiam quandam formam peruenit. Prima quidem mistio si rectè perpendatur, impropriè compositio dicitur, atq; in hac nulli dubium esse potest uniuscuiusq; simplicis medicamenti integras formas seruari. Et licet in hac unione simplicia ingredientiā ad minima deducta sint; cum tamen in potentia sint, neq; agens præstò sit, quod ea ad actum deducat, ut mox adinuicem agere & pati queant, non possunt utiq; unam communem formam obtinere; quod & mōstrabat Galenus, dum ageret de medicamētis, quæ minuūtur, & in frusta minima diuiduntur; at si hæc uniantur, prius tamen eisdem in subtilissimum pollinem redactis, & humido quopiam commistis, ab agente quopiā, utpote igne, aut sole, compositio hæc secunda dicitur, ac mistio propriè, calor enim ignis tunc agit in humidum, & humidum cum sicco permiscet, atq; eo casu contrarium unum in alterum agit, & patitur: Verum medicamentum id non statim ad unam formam deducetur, nisi longa ipsius fermentario intercedat: quæ quidem mistio, sicut ad unam formam tertiam miscibilia nondum contrahit, licet inter sese medicamenta aliquid passa sint, sic & communi effectui inseruire non potest: atq; ob id tametsi quid intermiscendum simplicia medicamenta passa sint, possunt tamen, cum & proprias habeant

tertio d' simpl. med. cap. 3.

formas, à quibus uires emanant, diuersis, & contrarijs affectibus obsistere, remisse tamen, cum & formæ in concursu remissæ sint. At si fermentatione ad unam tertiam formam deducantur, quod quidem ex mistione propriissime fit, non ob id tamen à propriis formis quodammodo ex actione, & passione remissis expoliantur, quæ cum in diuersis misti partibus reperiantur, uarios etiam effectus producunt; ex communi uerò forma fermentatione acquisita, & ex omnibus insimul conflata, alia quædam facultas excellentior, & nobilior consurgit, qua præstantior quoq; & uegetior quædam actio emanat, sicut censebat Auicennas de cõpositionis necessitate uerba faciens: atq; hæc à tota forma functio dependere dicitur, sicut & in nonnullis simplicibus medicamentis, quando exempli gratia uim aliquam purgandi a tota substantia medicamenti dependere asserimus, qua humorem hunc, illumuè trahit, ac allicit. Theriaca namq; cum ex plurimis confecta sit pharmacis, si fermentationem suscepit, & tempore diuturniori ad eam temperiem deuenit, secundum quam tertiam adepta est formam, & si ratione diuersarum partium, uarias etiam partiales formas habet, quibus uarios effectus producere potest corpori nostro proficuos, ratione tamen illius formæ ex fermentatione, longoq; tempore adeptę, omnibus uenenis obsistere potest, hæc enim actio in ea præstantior, & excellentior est, quæ à tota medicamenti substantia dependet, non autem à particularibus cuiusq; partium formis, atq; proprietatibus, ut clare testatur Auicennas, dum de Theriacæ compositione disserit. quo fit ut recte Galenus uoluerit uires omnes medicamentorum simplicium in Theriaca quam maximè uigere, neq; imbecillas esse, tum ut ex ea compositione complures actiones, quas ipsa pollicetur, perspicuæ edantur, tum ut ex unione & fermentatione altera prestantior communis actio conspicua reddatur. Neq; miremini me dixisse uobis formas in simplicibus medicamentis, dũ simul commiscentur, remitti, atq; intendi, ut inferius ostendetur, si enim à forma proueniunt actiones, hæ uerò nunc quidem intensæ sunt, nunc uerò re-

[Margin: 5. Can. Cap. i.]

[Margin: primo de antidotis cap. 5.]

missæ, quis dubitat & formas hoc idem pati? At si hoc sta tuamus, substantia igitur magis & minus suscipiet, quod qui dem expresse Aristoteli, & philosophis omnibus aduersatur: insuper forma est indiuisibilis, quomodo intensionem susci- piet, atq; remissionem? quod enim indiuisibile est, diuidi nō potest, neq; quantitatem habet, aut aliquod tale, ut maius, aut minus esse queat. Pro resolutione duorum horum scrupo- rum supponendum à uobis est formas bifariam capi, alte- ro quidem modo in abstracto, pro ut essentię sunt sim- plices ab intellectu consideratæ, siue hæ sint substantiales formæ, siue accidentales, altero uerò modo in concreto, & ut in hoc, illoue subiecto sunt: si capiantur formę in ab stracto, quæcunq; illæ sint, indiuisibiles sunt, ac proinde neq; intensionem, neq; remissionem suscipiunt, anima nãq; humana prout est forma materialis, & ut a medico conside- ratur in abstracto simplicissima est contrarium non habens, & forma indiuisibilis, quæq; magis & minus non suscipit, pariter albedo in abstracto sumpta simplissima est acciden- talis forma magis & minus nequaquam suscipiens: at formæ si respectu subiectorum comprehendãtur, cum hæ non nisi ex particularium subiectorum, & temperierum diuersitate ua rientur, sicut subiecta & temperies in singulis partialibus re periuntur diuersa, sic & tales formæ spectabuntur, forma enim Petri, licet in se considerata, ut totam hominis spe- ciem constituit, non sit à forma Ioannis distincta, ac proin de ut specifica, & in abstracto indiuisibilis; ueruntamen ut huic partiali indiuiduo dat esse, intendi potest, atq; immi- nui, quoniam ratione subiecti, in quo talis reperitur forma, diuersæ alterationes occurrere possunt, intra quas forma hæc specifica consistere potest. Formæ itaq; substantiales sub prima notione consideratæ iure ab Aristotele, & philosophis indiuisibiles nuncupantur, neq; ex sua natura magis & minus suscipiunt, at formæ in subiectis, & speciaciatim in medica- mentis, de quibus hoc loco loquimur intenduntur & remit- tuntur eo, quo declaratum est, modo, neq; ob id totas formas

amittunt

amittunt, id enim in artificiali contingit compositione, quod & in naturali: rhabarbarum enim diuersarum est partium, atq; diuersas quodamodo formas habet, quarum altera bilē euacuat, altera uerò adstringit, & exiccat: Nùm uerò eadem temperies ex arte produci queat, qualis est illa naturalis, non est præsentis speculationis, hoc duntaxat statuto, aliàs uerò à nobis ostenso artificialem temperiem, aut naturali similem esse, aut ad eam proximè accedere posse: Sed iam ad aliam difficultatem discutiendam accedamus, quomodo sumpto medicamento in corpus & à natiuo calore dissoluto, quod ex diuersis, aut contrariis facultatibus constat, una quidem medicamenti pars opem præstet parti corporis affectæ, altera uerò alteri. Nonnulli uoluere quandam esse in nobis uirtutem discretiuam, quam & Auerroes, & Auicēnas admisisse uidentur, atq; hãc non solum medicamentum in corpus ingestum diuidere, sed partes calidas ad hunc locum transmittere, frigidas uerò ad alium. Sententiam hanc Galenus non solum non admittit, quinimmo potius eos redarguit, qui obiiciebant corpori nostro quendam ueluti præsidem inesse, qui cum assumptum sit medicamentum, simplicibus in eo ingredientibus imperet, ut hæc quidem illuc, alia uerò in aliam partem tendant perinde, atq; si quis præcipiat (ut in tragædia scribitur) tu quidem Thebas, tu uerò Athenas perge. Rectius itaq; dicendum censemus cum Galeno, corpus nostrum meatibus scatere, medicamentumq; à calore nostro dissolutum mediantibus arteriis, & meatibus illis ad uniuersas corporis partes trahi; cum uerò singulis partibus innata quædam facultas donata sit, ut idem Galenus ubiq; fusius monstrauit, qualitatem sibi propriam attrahere, nam sicut scamonium, aut aliud purgans medicamentū substantiæ similitudine bilem flauā, aut quēpiā aliū trahit humorem, sic & membra ex natura disposita humorem sibi conuenientem attrahunt, ut eo uescantur, si uerò præter naturam affecta sint, naturali appetitu, qui omnibus partibus tributus est, contrarium, hoc est partem sibi profiuam, non quidem, quoniam cognitione prædita sint, sed

.i. canti ces tract. primo.
2.4. c.de cura hæmitritæ 1.
1. de cō po.med. per gen. cap. 1.
3.de sim pl. med. cap. 18.
lib. de fa cult. nat.
13. de us. part. cap. 2.

ut ad pristinum statum restituantur: cui etiam attraction adiumento est miscella cibi cum medicamento, aut alicuius, quod à proprietate quadam cum membro attrahente familiaritaté habet, atq; conuenientiam; si enim dum dissolutum est medicamentum alterans, cum aliquo humido nutribili admistum sit, libentius, & facilius à membro trahitur. Vnde si nos uelimus renum, uel uesicæ calculum frangere ex sanguine hircino, uel citrorum succo, quæ limonas nostri uocant, aliquid uerò ei medicamento immisceamus, quod familiaritatem habeat cum eis partibus, facilius, & promptius attractio efficietur.

Vt quantum agendum sit, perficiatur, à medico quomodo medicamenta sint immiscenda.
Caput Decimumquartum.

PRoinde quoniam medicamentorum actio in duobus potissimum consistebat, dum corpori nostro admouentur, primum quidem ut assequamur, quod intendimus, mox uerò ut quantum intendimus, tantum etiam agamus, absoluto primo hoc, quod ad qualitatem medicamenti commiscendi spectat, alterum, quod eius quantitati inseruit, est absoluendnm, atq; hoc circa medicamentorum gradus uersatur, neq; enim simplicia medicamenta in unum sunt commiscenda, ut quod intendimus, tãtum habeamus, sed ulterius progrediendum, & ad gradus medicamentorum recta methodo habendos est accedendum: nam & si medicamenta simplicia, co mpositauè possint suis oppositis qualitatibus morbis, seu affectibus omnibus oppugnare, hoc tamen habuisse non sufficit, sed necessarium est per quot gradus affectus distet à naturali statu non ignorare, ut ei postmodum medicamẽto composito oppugnemus, quod contrariis qualitatibus p totidem gradus ab ipso affectu distet. Et quoniam medicamenta simplicia modo in minori gradu, modo in maiori es-

se possunt, quàm corporis affectiones, ob id necessarium est medico in componendis medicamentis, nunc quidem medicamento sibi proposito simplici robur adiungere, nunc uero eidem imminuere. Auctionem & corroborationem graduum uno tantum modo fieri omnes fermè consentiunt, cũ similia similibus adiungimus, ut pote calida calidis, & frigida frigidis, si enim sit medicamentum in secundo calidum, & affectus in tertio frigidus, non possumus utiq; medicamento simplici calido ad tertium usq; gradum pertingere, nisi cum eo excedente per duos gradus medicamentum in quarto exuperans accipiamus, & inuicem commisceamus, tunc.n. ad tertium usq; gradum totum illud adaugebitur. At uiriũ imminutionem in gradibus medicamentorum bifariam fieri posse ex Galeno, Auerroi, & aliis bonæ classis Autoribus colligi potest, uno quidem modo cum remissioribus eiusdẽ, & similis qualitatibus, alio uerò modo cũ cõtrarijs, quæ nõ solum contrarias qualitates remittere possunt, sed & ad contrarium statum deducere. Primũ quidem remissionis modũ monstrabat Gal. hunc in modum, sit corpus, quod frigidam habeat intemperiem à naturali per quatuor labentem, nos uerò non habeamus medicamentum simplex, quod hoc munere oppugnandi per totidem numeros fungatur, si duo accipiamus medicamenta simplicia calida, quorum alterum per quinq; numeros à mediocritate distet, alterum uerò per tres, tunc si utrumq; horum commisceamus, calidum ut quatuor resultabit, quod scopo nostro maxime cocinnũ erit. Est autem à nobis notandum, ne erretis Galenum eo loci non accepisse quinque numeros esse quinq; gradus, ita ut plures quàm quatuor in quibuscunq; medicamentis gradus esse possint, hoc enim falsum est, sed intellixisse mansiones graduum, quæ cum in unoquoq; gradu tres reperiuntur, ita ut singulum medicamentum calidum ut quatuor, duodecim mansiones habeat, quas numeros Gal. uocauit: quòd si aliud clarius exemplũ optatis, sumatis id ex Isahach arabe medico insigni, accipit enim medicamentum ut tria calidum, & aliud medicamentum calidum ut unum, & ex

1.de cõ pos. med. p gen.c.3.

lib.x.practices tract. & cap. 1. utriusq; commistione medicamentum calidum ut duo confici ait, quod quidem hepati exempli gratia refrigerato, & ad præter naturam uerso, ut duo conueniet. Secundus uerò remissionis modus satis apertus est, nam si accipiamus calidum ut duo, & frigidum pariter ut duo, mistum temperatũ conficietur, si quidem tantum calidi à frigido contrario remittetur, quantum calidum frigidum retundet: at si accipiatur calidum ut tria, & cum frigido ut unum connectatur, ad calidum ut duo totum compositum redigetur.

Nunquid actio, & reactio in medicamentis fiat. Cap. Decimumquintum.

Circa ea, quæ de intensione, & remissione medicamentorum hucusq; à nobis determinata sunt, nonnullę occurrunt difficultates, quæ & à nobis sunt enodandæ, ne circa hoc scrupus aliquis in animis uestris relinquatur, illud uerò in primis est dubium, nùm in medicamentorum compositione actio & reactio sit concedenda, ita ut dum unum medicamentum agit, etiam repatiatur, ut tandem ex qualitatũ refractione id quidem remissius fiat, hoc uerò præpotens, atq; intensum. Difficultas hæc non solum Medicos, sed & Philosophos mirum in modum contorsit, si quidem Philosophi intensionem, & remissionem primarum qualitatum inquirunt, dum ueniunt ad mistionem, Medici uerò de intẽsione & remissione simplicium medicamentorum pertractant, dũ inuicem commiscentur. Ego quidem dimittam quæsitum quoad elementorum mistionem à Philosophis semper arduum diiudicatum, hoc enim à uestris clarissimis Philosophis habere potestis, & ad aliud medicum dissoluendum accingar. Pro cuius dissolutione id à uobis sciendum est, quod & superius ostendimus, simplicia medicamenta, dum inuicem miscentur, bisfariam immisceri, aut per solam adhæsionem, & comminutionem partium, nulla quippe facta in eis alteratio

ne,aut per alterationem,& immutationem unà cum p artiũ comminutione,&ad minima usq; dissolutione: in prima qui dem mistione,quæ iuxtapositio quædam est, cum medicamẽ ta adhuc in potentia sint,neq; ad actũ deuenere , neq; utiq; agere , neq; pati possunt,carent nanq; extrinseco quopiam, quod ea ad actus deducat: at in secunda miscella,cum aliquid agens ea ad actum promoueat , ualida quidem agent in im becilla,& imbecilla quodammodo in robusta& ualida : Ima ginari nanq; opus est in medicamentis idem contingere , dum ab agente ut pote Sole, igne , aut natiuo calore nostro sunt excitata perinde , atq; in duobus uiro , ac puero gladium habentibus , seseq; offendere cupientibus , quòd ex una quidem parte uir ense puerum percutiet sese non tutan tem , & ictum expectantem, atq; profundum ei uulnus infer ret, atq; lætale; ex altera uerò parte puer itidem ense uirum ualidum feriet ictum non euitantem , ipsiq; uulnus , at imbecillum infliget : simplicia quidem medicamenta ad actum excitata,neq; clypeos , neq; galeam habent , ut ab ictibus sese tutentur , ob id in pugna imbecillum à robusto obtunditur , & castigatur , robustũ uerò ab imbecillo quodammodo remittitur, dummodo quædam debita inter utrumq; proportio conseruetur , qua ambo & pati & quodamodo reagere queant : ut enim si muscæ ala super candens ferrum cadens, ferri caliditatem non remitteret , cum nulla inter utrumq; adsit proportio , sic & siquis calido medicamento magna copia immisceat granum , aut quid tale frigidi medicamenti , non poterit utiq; calidum medicamentum à pu xillo illo frigidi remitti , cum illi congrua non adsit proportio . Decens igitur omnium medicamentorum quantitas esse debet, dum eorum fit mistio, alioquin unum ab altero non alterabitur , quinimmo si pares etiam sint qualitates in medicamentis , caliditas alias superabit uiribus, que madmodum Galenus ubiq; testatur , atq; hæc dominãs erit, reliquæ uero quodammodo ab ea deuictæ dicentur: Sed de hoc satis sint dicta.

Nùm intensum ab eodem simili remisso remittatur, an potius intendatur, ut quidam arbitrantur. Caput Decimumsextum.

EX hoc aliud pullulat dubium, an uerum sit, quod, à nobis determinatum est, intensum exempli gratia calidum ab eodem remisse calido remitti, an uerò ut alii sensere, potius intendi, & augeri. Quæ quidem postrema sententia acerrimos habuit, habetq; defensores, inter quos est Clarissimus Montanus Veronensis, qui calidum in minori gradu tantum abesse, ut calidum intensius remittat, est arbitratus, ut ipsum adhuc magis intendat, atq; adaugeat: Fundamentum autem eorum sententiæ exemplo quodam innixum: est. Sit enim Socrates, qui quatuor, uirium gradus obtineat, quibus satis commode nauim trahere posset, si inter trahendum ex aduerso Plato accedat, qui paribus uiribus tantum etiam trahat, nauis utiq; neq; huc, neq; illuc prorsus mouebitur, propterea quòd quantum Socrates ab uno latere trahit, tantum etiam Platoècontrariò tractionem prohibet, at si ab eadem Socratis parte accedat Dionisius puer exempli gratia pollens uno gradu, non solum Socratis uires non remittet, uerum & tractionem quoquomodo intendet: à pari dicendum est de medicamentis, si enim medicamentum ut tria sit, & aliud frigidum ut tria quantum medicamentum excalefaciet, tantū etiam alterum infrigidabit, ut nulla insignis alteratio, & immutatio consequatur: at si medicamento calido, ut tria superaddatur medicamentum calidum, ut unum, tantum abest, ut id remittat intensum, ut etiam adaugeat, & iuuet excalefactioni: statuunt autem aduersus nostrā sententiam remissionem et imminutionem ualidioris medicamenti præter contrarii appositionem, quam etiam nos cum priori causa ab illis confutata superius admisimus, diminuta fieri dosi, sicut intensionem ob adauctam eiusdem medicamenti quantitatem, ac dosim: Vt autem hoc placitum uerum esse demonstrent, id prius suppo-

nunt,in medicamento,ut calefaciat,aut refrigeret in primo, secundouè ordine, non tantum proprium requiri temperamentum, cuius beneficio ad agendum est aptum , uerum & quantitatem definitam , sine qua medicamentum id exacte agere non potest,dum enim piper in tertio ordine calefacere dicimus non solum sufficit piperis granum suscepisse, atq; ęgrotanti porrexisse,ut in tertio calefaciat,sed necessarium est quantitatem adesse idoneam,qua talis actu perficiatur,ita ut quantitas illa neq; redundet , neq; deficiat: si enim piperis dosis sit exacta ad drachmam, ut in tertio agat,exhibeamus autem ad semidrachmam, uel scrupulum,in tertio tunc non calefaciet, quoniam eius quantitas sufficiēs non est perinde,atq; ignis scintilla,quæ cuipiam corpori admota,id utiq; ad quartum non uret ob subiecti exiguitatē. Si uerò quantitas redundet, ut in exemplo piperis ad ʒ. ii : non tantum excalefaciet,uerum & succendet, corpusq; aduret.Concludunt igitur ex hoc medicamenti quantitatem, & dosim necessariam esse pro auctione, imminutioneuè gradus,ut in minori quantitate,quàm par sit exhibitum medicamentum gradum imminuat, in maiori uerò ipsum adaugeat.Sententia horum clarissimorum Virorum Galeno,Auerroi,& ueritati oppugnat . Galenus namq; aperte (ut prædiximus)statuit refractionem hanc exemplo calidi ut quinq; , & calidi ut tria,atq; imminutionem gradus ex ea compositione, siquidem ambo medicamenta in unum aptata alterū ex mutua actione,& passione conflatum ut quatuor confici unt. Quod & aliàs exemplo monstrabat externo , si quis aquam feruentissimam cum tepida immisceat, is enim clare persentiet aquam illam feruidam remissiorem factam : causa autem erroris horum uirorum est , tum quoniam Al-Kindi graduationi nimis credidere,tum quoniam exemplum illud perperàm sibi accomodarunt, cum enim Alkindus statuat gradus per duplam solam proportionem supra temperatum , ita ut primus gradus exempli gratia calidi ad secundum ,& secundus ad tertium & tertius ad quartum per duplum semper excrescat contrario frigido nequaquam au-

1. de cōpos. med. p gen.c.3.

cto, potuerunt utiq; ex falso fundamento pronuntiare calidũ in primo non remittere calidum in tertio, quandoquidem neq; etiam contrarium adiunctum est, quod caliditatẽ illam intensam remittat. At nos quippe qui Galeni fundamẽtis, & rei naturę innitimur, iure dicere possumus calidum hoc remissum intensum calidum remittere ob contrariam sibi adnexam qualitatem, ut inferius clarius ostendetur. Decepit quinetiam eos exemplum illud falsò desumptum, & enim magna est dissimilitudo inter Platonem trahentem nauem cum Dionysio Puero, atq; medicamentum calidum ut tria, cum medicamento calido, ut unum, Plato quidem trahit cum puero nauim, neq; aliquid habet ex parte pueri connexum, quod prohibeat, at medicamentum calidum, ut unum, & si per gradum calefaciat, habet tamen frigiditatem adnexam, qua potest medicamentum calidum ut tria quodammodo pertundere, si enim ex nostra graduatione accipiamus medicamentum in tertio, & alterum calidum in primo, in medicamento quidem priori quatuor erunt calidi partes, & una frigidi, in medicamento uerò primi gradus quatuor calidi, & tres ex frigido; coniungantur autem ambo, & inuicem agant, cum in toto composito octo sint calidi pattes, & frigidi quatuor, totum itaq; ex ambobus mistum remissius factum erit, quàm erat calidum in tertio gradu medicamentum simplex, proptereaquòd in simplici hoc proportio est quatuor ad unum, in composito uerò dupla proportio quatuor ad octo, quæ gradus est secundi, ut supra à nobis declaratum est, ita ut tota compositio remissa erit à tertio ad secundum gradum. Errarunt postremò circa medicamenti quantitatem, quam adaugere, & imminuere gradus in medicamentis compositis sunt arbitrati: nam quæro ab his, nùm ad nauis tractionem Socratis necessaria sit magnitudo, uel paruitas per se? minime quidem dicent, sed solum per accidens, uis enim per quatuor exempli gratia gradus per se sufficit, qua Socrates nauim trahit: Si igitur moles maior, aut minor per se nil facit ad auctionem, imminutionemuè actionis, quoniam quantumuis maior, aut mi-

nor

nor mole Socrates, non poteſt tamen trahere, niſi ad illum certum terminum, ad quem uires attingunt; ſic & de medicamentis dicendum eſt, à magnitudine, & paruitate medicamẽti neq; robur, neq; imminutio ipſius aſsignari poteſt, niſi p accidens quatenus ſub hoc quanto talis qualitas conſiſtit, quæ & maior, & minor eſſe poteſt: agit autem medicamẽtum in tertio uſq; ad eum terminum, ſiue id in magna ſiue in exigua ſit mole, dummodo non adeo parua ſit quantitas improportionata actioni, ſi quidem ratione exiguitatis à contrario ſuffocabitur, & extinguetur, priuſquàm ſuã functionem promat. Sed dicet quis ueſtrum, ſi ego accipiam drachmam piperis, hæc utiq; ad calefaciendum uſq; ad tertium gradum ſufficiet, ſed ſi ſumam drachmas duas, nonnè aperte ſatis totum corpus non ſolum ualde incaleſcere, ſed & inflammari, & uri perſentiemus? quæ quidem actio quarti eſt ordinis, ut Gal. aperte ſcripſit docens, quomodo ex actionibus in corpus noſtrum medicamentorum gradus dignoſcantur: quod & confirmat libro de Antidotis; ubi recenſens ueterum ſententiam, qui loco cinnamomi caſsiam in duplo ponderis accipiebant, cauſam eſſe ſubdit: quoniam quantitate adaucta medicamentorum, & potiſsimum caſsiæ uires ipſorum adaugerétur: adaucta namq; in duplo caſsia, æquipollet optimo cinnamomo in ſimplici doſi exhibito. 5. de ſimpl. med. propè calcem. 1. de antid. c. 14

Oppugnationes quidem hæ nullæ certè ſunt; prima quidem, quoniam piperis eſſentia & natura gradum proprium tranſgredi nequit, inflammat uerò & urit per accidẽs ratione diuturnitatis actionis, proptereaquòd dum eſt in corpore, niſi impediatur, ad tertiũ uſq; gradũ calefaciet: quę ſanè actio inſignis admodũ ẽ. At poſtquã ex medicamẽto producta eſt actio, ſi id adhuc agẽdo pſeuerat, quæ magis ſuccẽdi aptæ ſunt partes, utpote ſanguis, & ſpiritus, magis adhuc ſuccendentur non quidem ob illius caloris gradus, ſed ob actionis diuturnitatem, qua partes ad flammam promptiores magis adhuc ſuccendi perſeuerant. Nulla quoq; eſt Galeni male intellecta autoritas ex prmo de antidotis, quoniam probat ipſe ueterum ſententiam circa caſsiæ duplum pon- cap. 14.

dere in cinnamomi defectum non ut gradum adaugeat, ut etiam nonnulli ex nostris censere, dum de componendæ Theriacæ methodo pertractarunt, sed ut ex quantitate in composito medicamento casſiæ uim uigorosam reddat: quod quidem faciendum prohibet, si ea simplex assumatur, ut occulata fide ex Galeni uerbis uidere potestis: Recitat náq; Quinti præceptoris facetiam, qua cinamomum uino faler no generoso, seu pani siligineo, & casſiam uino, quod in cauponis uenditur, seu pani furfuraceo assimillabat, irridetq; ipsum, qui dixerit, quòd sicut loco panis optimi ad duplum furfuraceum, siue loco uini falerni ad duplum uinum aliud sumere possumus, sic & in defectu cinnamomi ad duplum casſia uti nobis commodum erit; nam (subdit Gal.) similitu do hæc undequaq; uera non est, sed reprehensione digna, nam in compositione bene uerum est, casſiam ad duplum cinnamomi uice administrari posse; at si sola casſia extra cor pus apponatur, uel intus suscipiatur, ei nocebit. Causam huius effectus Gal. non assignat, sed ex dictis ea colligi po test, quoniam cum casſiæ limitata sit quantitas, si eam solam in maiori copia adhibeamus ratione diuturnitatis actionis, non autem propriæ essentiæ, maiorem etiam impressionem efficiet: at si in compositis exhibeatur, ea utiq; per totum disseminata facultatem suam uigorosiorem ostendet, &

Serm. 2. cap. 9. loco optimi cinnamomi, quod fragrantius est odore, & uigoro sius casſia suplebit. Quo loco uos admonitos uelim, ut & in nostro de Theriacæ compositione libro diximus, dum de cinnamomo agebamus, cinnamomum & casſiam eiusdem esse ordinis, licet mansione cinnamomum à casſia parúper exce

1. de antid. c. 14 dat, & uiuida facultate, quicquid alij dixerint, nam Galenus præcitato libro de antidotis casſiam cinnamomo genere pro

lib. 7. ca. pprio ximam usq; adeo esse scripsit, ut ex ipsa quandoq; cinnamo mum exoriatur, & in libris de simplici medicina capite proprio casſiam quodammodo tertij ordinis esse ait, non autem ut illi afferunt, secundi, à quo etiam Auic. secundum Bellu nensis uersionem, Aetius, Serrapio, & alii boni scriptores desumpsere.

Nùm intensio, & remisio fiat etiam in secundis, & tertiis facultatibus, ut & in primis. Caput Decimumseptimum.

VErùm nùm in compositione intensio fiat atq; remisio in secundis,& tertiis facultatibus perinde, atq; in primis, & remissum etiam in eis remittat intensum,dubium fuit apud medicos, siquidem nonnulli non solum negarunt (5. colliget cap. 57.) eorum intensionem & remisionem, sed & remissam secundam qualitatem, & tertiam remittere intensam similem duabus rationibus, Quarum est altera, quoniam facultates hæ contrariæ inter sese non sunt, ita ut agendo & patiendo in uicem pugnent, si enim accipiatis medicamentum adstringens, utpote balaustias, & eas cum petroselino immisceatis, balaustiæ non adstringent petroselinum, neq; petroselinum aperiet balaustias, cum inuicem contrariæ non sint, neq; mutuò agant, atq; repatiantur: Altera uerò est ratio, quòd si inter sese contrariæ non sunt, neq; inter eas actio est,ac pasio, multò minus quæ similes sunt,inuicem aduersabuntur,atq; pugnabunt, igitur medicamentum remissè adstringens alterum ualde adstringens nõ remittet; Non defuere quidam, qui contrariam sententiam sustinuere,motiq; sunt & ipsi duobus fundamentis, quorum alterum est,quoniam si uerum est facultates secundas,& tertias ob primas esse,& ab ipsis pendere,sicut primæ remittũtur,cur & hæ intensionem non recipient,atq; remisionem? (5. collig. cap. 57.) si enim aperiens remissum id est,quod parum admodum adstringit, propterea quòd ex calido remisso constat,uti prima qualitate,à qua dependet,nulli dubium esse potest, quòd si immisceatur cum ualido aperiente totum minus aperiens, quam prius erat, resiliet: alterum fundamentum ex sensu, & experientia sumptum est, nam si accipiatis alumen, quod ualde adstringit, & cum succo rosarum, qui imbecille admodum adstringit, immisceatis,mistum id totũ ab eo imbecillo remittetur,Quod et nostri medici sæpius ex

periuntur, dum cum ſcamonio, quod uehementer, & magno cum impetu euacuat, aliud purgans leue immiſcent, ex ea nanq; miſcella & minor, & læuior purgatio conſequitur. In hac difficultate grauiſſimi hercle uiri multum deſaricati ſũt, & Auerroem ipſum modò unum, modò alterum ſuſtinuiſse arbitrantes, ſub iudice eam adhuc deſeruere: principio nanq; cuiuſdam capitis Auerroes habere uidetur, qualitates ſecundas, & tertias, uti & primas intendi, & remitti, intenſumq́; ex eis à remiſſo remisſionem ſuſcipere, reprehenditq́; medicos, qui gradus his facultatibus non tribuerunt, nam ex his gradibus conſpicuum eſſet, quodnam medicamentum ſecũdum qualitates ſecundas, & tertias ſit temperatum, quidq́; à temperie dilongetur: at poſt medium capitis contrarium aſſerit Auerroes, quòd & ſi ab eo ſupra dictum ſit imbecillũ eiuſdem facultatis alterum intenſum eiuſdemmet facultatis hebetare, & imminuere, fieri tamen poteſt hoc minime cõtingere, proptereaq; apium ualde aperiens non ſolum non hebetatur à ſeminibus mellonum, ſed contrà potius eius adhuc apertio magis adaugetur. Verum nos in hoc dubio iudicium noſtrum ferentes cenſemus poſteriorem ſententiam ueritati magis concinnam eſſe, & Auerroim à contradictione ſine ullo negotio uindicari poſſe, dummodo ipſius ſuboſcura uerba rectè, ac fideliter interprætentur; propoſuerat principio capitis dubium diſcutiendum, quomodo in medicamentis compoſitis ratione primarum & ſecundarum qualitatum duæ oppoſitæ qualitates reperiantur, quibus eodem tempore corpus noſtrum alterari queat; ſi enim æquales ſunt, cum ab ęquali non proueniat actio, nulla itaq; actio fiet, ſi uerò una altera eſt fortior, actio utiq; ualidiori attribuetur, imbecillioris uerò nullus effectus percipietur: Prius uerò quàm Auerroes hoc dubium diſſoluat, reprehendit medicos, qui dubium de primis tantum qualitatibus promouerint, & ipſis ſolis gradus non aliis aſſignarint cum eadem ratio ſit de ſecundis, & tertiis, ut & de primis qualitatibus: atq; ob id cum ipſi primis qualitatibus gradus aſſignarint, non autem ſecundis, & tertiis, dubium ſubterfugere non

5. colliget cap. 57.

5. collig. cap. 57.

possunt, cum utcũq; sit, eadẽ in omnibus uigeat difficultas. Respondet mox Auerroes difficultati, hoc prius supposito in secundis, & tertijs qualitatibus dari gradus, quod quidem a nobis superius diffusius monstratũ est; Et iuxta sententiam suam inquit, in medicamento composito qualitatum omniũ mistionem, & refractionem adesse, quemadmodum ex aqua feruenti, & frigida, ita ut omnes illæ qualitates ad quandam mediocritatem deducantur: Vnde sicut primæ qualitates ad medium quiddam perueniunt, sic & secundę, & tertiæ quali tates, utpote quando solatrum, & camomellum insimul immiscentur, solani adstrictio, & camomelli apertio, seu laxatio ad mediam naturam accedunt, & una etiam ex his actio fit. Ad medium uerò capitis scribens quomodo procedendum sit in medicamentorum compositione, quando aliquid habemus simplex medicamentum, in quo duæ sint facultates, quarum unica tantum egemus, ut exempli gratia dum adest medicamentum frigidum & humidum, ex quo non nisi humiditatis actio necessaria sit; in primis docet circa primas qualitates, quòd temperandum est medicamentum hoc cum calido tantum, quoniam ad temperiem in calido & frigido deducetur dominante humiditate, ob quam actio consequi debet: secundò circa secundas, & tertias qualitates, quòd si in febribus medicamento egeamus aperiente, & præ mani bus habeamus apium, quod & aperit, & calefacit, qua quidem caliditate non indigemus, sed potius infrigidatione, & humectatione, aliquid immiscebimus medicamentum, quod frigidum sit, & humidum, nympheam nempè apud græcos, seu nenupharem apud seplasiarios nominatam: Sed quoniam ex hoc medicamento uis illa aperiens prioris medicamenti quadantenus remittitur, & suffocatur, cum in nymphæa adstrictio quędam insit apij aduersans apertioni, ob id admiscenda esse censet Auerroes semina mellonum, aut citrulorum, quoniam cùm factum sit prius medicamentum imbecillius, & remissius ex nymphęa, in seminibus uerò mellonum adsit & frigiditas & caliditas, ex qua caliditate apertio consequitur, & urinæ prouocatio frigiditate nequa-

quam actionem illam prohibente, hoc utiq; medicamento moderantiam in caliditate, & frigiditate ex prioribus duobus medicamentis introductam seruabimus, ut pote ex apio, & nymphæa, semina namq; mellonum uim habent moderatã calefaciendi, atq; refrigerandi, apertioni uerò tantum remissæ & imbecillæ in apio existente succurremus (sic enim Mãtinus in sua habet uersione) atq; hoc non sine ratione, cum ex apertione seminum mellonum uis apii sopita, & imbecilla ex nymphea reddita robur suum adhuc acquirat: nam ut ex his, quæ a nobis superius declaratum est, ex duplicato casiæ pondere, quæ non adeo uigentis est facultatis, sicut casiæ uim adaugemus ex duplicato illo pondere, ut tantum ualeat in operando, quãtum & optimum cinnamomum, sic & ex apii, & seminum mellonum facultatibus insimul iunctis aperiendi facultatem adaugemus, quod quidem non præstasset apiũ duntaxat cum ipsa nymphæa. Ex qua Auerrois sententia, si hoc modò intelligatur (quod quidem paucis concessum est) clarissime patet ipsum non sibi aduersari: Cõcedit etenim in secundis, & tertiis facultatibus remissum remittere intẽsũ, ut & in primis qualitatibus, uerũ duplicatũ idẽ, aut simile pondere uigorari, & quod remissũ erat, ab eodẽ simili excitari, & maiorem uim suscipere, cum & diuturniori tempore eius uires seruentur, & in corpus nostrum agant. Non erit autem difficile respondere duabus propositis rationibus pro parte eorum, qui secundas & tertias qualitates se se non remittere, aut intendere diiudicarunt, nam quòd facultates hæ contrariæ sibi inuicem non sint, ac proinde neq; mutuò pugnent, dicimus nos, quòd cum hæ à primis dependeant, sicut actio & passio, & contrarietas in eis adest, sic & in secundis & tertiis, earum tamen contrarietas non adeo conspicua est, ut in primis: pariter dicendum est postremo eorum obiecto, quòd simile non agit in simile, neq; ab eo obtunditur, sed quoniam secum quid habet contrarii occulti, ob quod remisio illa fiat, ut ex his, quæ à nobis ex mente Auerrois sunt declarata, apertissime constat.

Quomodo medicamenta in compositione adiuuent actionem, tum quoad qualitatem, tum quoad quantitatem. Caput Decimumoctauum.

DEclarato primo capite quoad medicamentorum actionem, quæ in duobus potissimum consistebat, quid nempè, & quantum in nobis ipsa præstare debeant, quorum alterum differentias omnes respiciebat ex parte primarum, secundarum & tertiarum qualitatum, alterum uerò gradus, & ordines earum, consequens est, ut uobis monstremus, quomodo medicamenta in compositione actionibus usum prestent: dictum namq; est medicamenta quinq; usus eorum actioni conferre, dum unà immiscentur; quoniam aut adiuuant actionem tùm quoad qualitatem, tùm quoad quantitatem, aut prohibent, ne quid corpori ex medicamento actionem perficiente nocumentum inferatur, aut actionem accelerant, retardantuè, prout opus est, aut totum compositum gratius reddunt, aut deniq; totum compositum conseruant, ne eius facultates pereant, aut euanescant: Agemus autem de primo usu, qui ad duo respicit, cum & actio medicamenti in corpus nostrum suscepti ex duobus pendeat, tùm ut quod pollicetur, efficiat, tùm etiam ut quantum exoptamus, perficiat. Respectu igitur prioris requisiti quid addendum est in composito medicamento, usum præstans qualitati medicamenti, quod in corpus nostrum operaturũ est; respectu uerò posterioris immiscendum est quippiam, quod quantitatem eius adiuuet. Vt autem medicus actioni quoad qualitatem auxilietur, id utiq; duobus modis efficitur, aut deducendo interius assumptum ad locum affectum medicamentum, aut idem quadantenus in loco affecto detinendo. Primi quidem modi unum uobis exemplum proponã. Sit ulcus intestinorum, quod indiget abstersione, sit autem nobis denegatum medicamentum, quod interne subeat, & substantia propria affectui huic opitulari possit, necessarium est quid addere, quod ipsum ad locum affectum deducat, fa

rina namq; hordei,& si opus illud abstergendi perficere ualeat, non potest tamen profundum ulcus subire: qua de re liquor aliquis ei est immiscendus,& per clystere,aut aliud q̃d tale ad locum affectum commode satis deduci poterit. Secundi uerò modi alterum uobis tradam exemplum: sit ulcus, aut inflammatio in quapiã externa parte, si ibidem apponatur medicamentum liquidum, haud dubiè periculum imminet, ne à loco moueatur, ac proinde ne ulla quidem actio consequatur, ut uerò id firmum in loco detineatur, neq; huc, neq; illuc dimoueatur, ei aliquod est immiscendum,quod ipsum in loco stabile, & firmum detineat, ut pote cæra, resina & aliud id genus: atq; ob id cum oleo, lytargirio,& similibus resinas,Gumm, & cæram immiscent Seplasiarii,ut emplastra, cerata,& acopa,uel quid tale solidum,& adhærens conficiant.Cæterum ne actio quoad quantitatem suam in medicamentis impediatur, ad tria alia respicienda sunt,substantiam nimirum eorum crassam,& solidam,tenuem & fluxilem, & transitum: substantia nanq; crassa nequaq̃ partes corporis internas subire potest, tenuis uerò ac fluxilis facile locum affectũ pertransit, hucq; illucq; uagatur,longus uerò trãsitus in causa est, ut priusq̃ medicamentum ad locum pertingat,uim suam amittat. Quã ob rem ratione harum trium causarum medicamenta quæpiam adiungere cogimur ei, quod actionem facit,ut quantũ id pollicetur,perficiatur. si enim refrigerandum sit cerebrũ, oleum quidem rosaceum aptisimum est medicamentum, in quo refrigerandi uis moderata reperitur; uerum cùm oleo uiscositas, seu tenacitas quædam insit, in rosa uerò partes sint terreæ,& crassæ, non possumus utiq; ex rosacco eam actionem consequi,quam exoptamus, cum affectus internus sit,oleum uerò rosaceum suo lentore, & crassitie ad internas cerebri partes attingere non ualeat,ob id aliquid ei, est ad miscendum,quod eius facultatis penetrationem adiuuet, ut tantum efficiat,quantum agere intendebamus, quod quidem facit Galenus,dum acetum in oleo rosaceo coniicit,quod tenuium est partium, facileq; penetrat, & secum rosaceum

11. meth. med. cap. 18.

condu

conducit. Qua quidem ratione motus Galenus, ubi de medicamentis loquitur, quæ Alopeciæ, & Ophiasi proficiunt, cum medicamentis crassis, & uiscidis, quæ affectibus dictis prodesse possunt, alia tenuium partium immiscet, ut ad radices usq; penetrent; & inter cætera ab antiquis medicamenta cõposita comprobat compositionem illam ex Asclepiade, quæ corticis arundinis pulverizati Onc i. recipit, ladani Onc. 5. & adipis ursini libram unam; constat enim ex adstringentibus, & roborantibus partes cutaneas: at ut hæc promptius interne subeant, tenuem adipem ursi continet. Ratione quinetiam secundæ causæ medicamenta sunt immiscenda, quando id, quod actionem efficere debet, tenue est, ac fluxile, nam & si quid operari possit, non tamen quantum cupimus, effectusq; expostulat, citò.n. elabitur. itaq; ei tenacia quædam & uiscida admiscentur, ut longo tempore parti adhæreat, & commode actionem perficiat, hæc enim tempore & quiete indigẽt, ut recte docebat Auer. quarto Metheororum de concoctione uerba faciens: nam si in uentriculo frigida laborante intemperie exterius medicamenta admoueantur, quæ suapte natura calefaciant ut pote absynthium, mastichem, & id tale genus, quid uerò his non admisceas, quod loco eis adhærere faciat, labẽtur, & exigua admodũ sortietur actio, at si cærã, aut resinã, & huiusmodi uiscida imponas, adhærebunt utiq; loco, & quantum cupimus, perficient. Postremò usum præstamus actioni medicamenti ex parte qualitatis eius, quando tertiam causam ammouemus, studemusq; ut medicamentum totum ad locum deferatur: si enim ulcus sit in uesica, quod consolidatione indiget, cùm locus altus sit, ut difficile admodum congruum ibidem medicamentum integrum deferatur, tunc urinam prouocantia commiscemus, quibus scopum nostrum consequamur, siquidem hæc medicamentum ad locum affectum dirigunt, ut integra eius operatio habeatur.

1. de cõ po. med per loc. cap. 2.

Quomodo medicamenta adiuuent actionem in compositione, ne ullum ex ea nocumentum corpori inferatur. Caput Decimumnonum.

SEcundus ex quinq; precipuus erat usus ex compositione, ut corpori nulla ex medicamento noxa inferatur, tutò uerò actio perficiatur; cum enim in corpore tria sint, affectus, partes affectæ, & partes sanæ, debet utiq; medicus his tribus diligenter prospicere, ne oppugnando cuipiam eorum medicamentis, illi officiamus: [in primis autem ratione affectuum miscella hæc adiuuantium est procuranda, ne dum aliquem affectum præter naturam frigidum expellimus, contrarium introducamus. si enim affectus sit exẽpli gratia in actiuis frigidus, ut duo, & adsit medicamentum ut tria calidum, id utiq; intemperiem frigidam remouebit, at non tutò, quoniam alteram calidam introducet. Quare tunc opus erit, ut superius docuimus, aut immiscere medicamentum in primo contrarium frigidum, aut remissum aliquid in calore ad primum ordinem: Quod itidem de calido affectu dicatur. At si siccus sit affectus, solaq; egeamus humectatione, frigidum autem & humidum sit medicamentum, quo uti opus est, alterum calidum æquale frigido, sed & humidum, aut in qualitatibus passiuis moderatum ei est immiscendum, ut totum compositum solummodo humidum euadat: quod itidem dicendum est de affectu humido tantum, qui sola indiget exiccatione. Miscemus uerò medicamenta ob partes affectas pro earum conseruatione, quoniam cum duo sint partium genera, ut recte docebat Gal. aliæ quidem, quæ toti inseruiunt animali, communemq; tribuunt actionem, aliæ uerò, quæ non toti subministrant, sed actionem tantum propriam habent, si medicamenta exhibeamus his partibus affectis, quæ uniuerso corpori actiones quasdam communicant, fieri potest, ut earum robur, & temperies patiatur, licet affectus ab eis arceatur: cum his itaq; sunt immiscenda, quæ earum partium facultates & tempe-

13. meth. med. cap. 13.

ries seruent, ut commode actionem propriam cæteris impartire ualeant: nam si hepar ex Galeno phlegmone laboret, súpta quidem à Phlegmone indicatione, diaphoresi, siue digestione, euaporationeuè per aliquod medicamentum diaphoreticum utendum erit: sed quoniam hepar principiũ sãguificationis est, quæ sanè actio toti corpori inseruit, ob id necessum est aliquod huic admiscere, quod hepatis robur cõseruet. Vnde Gal. de hepatis affectibus disserens, & propria, & aliorum composita proponens in eis aliquid semper adstrictorij medicamenti, & uiscus illud roborantis apponit; miscentur nanq; cum seridis cuiusq; generibus uua passa, absynthium, nardus celtica, & similia, quæ aliquid in se continent adstrictionis. At si phlegmon, aut alius affectus sit in fęmore, tibia, cubito, & brachio, his roborãtibus non adeo necessarius est usus, quoniam horum robur toti corpori nullum auxilium præbet: pariter affectum sit cerebrum, quod eget refregeratione, & humectatione, & si opium conferat ei infrigidando, atq; humectando, ut tamen parti nobili, & quæ uniuersis partibus uim suam impertit, succuramus, cum opio calida quædam sunt admiscenda, quæ ualidam opii facultatem obtundãt, & partis robur custodiãt: qua de causa ex Galeno libro de antidotis castigarunt hi Theriacam in gratiam Antonini Imperatoris compositam, nam cum Theriaca ab eis iussu Imperatoris absq; opio prius componeretur, propterea quòd inter maxima negotia somno ualde corriperetur, mox uerò cùm idem utpote siccioris temperamenti à medicamento magis adhuc exiccaretur, atq; potissimum cerebri substantia, ex qua plurimam noctis partem insomnem ducebat, eodem rursus iubente Theriacæ opium addidere, ut cerebro exiccato, totiusq; corporis intemperiei opitularentur, eaq; Imperator tutò & commodè uti posset. Ratione postremò partium sanarum medicamenta immiscemus, tùm quando solis affecti bus oppugnamus, tùm quando patientibus membris medellam præstamus: Si enim bilem flauam euacuare cupiamus, scamonio uerò uti proponamus, quod humorem bi-

13. meth. c. 16.

8. de compo. med. p loc. cap. 6. 7. & 8.

liosum commodè educit, cum id in uentrem, & iecur receptũ ob eius malitiã partes sanas facillime lædat, necnõ odorata, & alia huiusmodi, quæ partes illas custodiant, sunt immiscenda: Quali compositione utebatur Hippo. dum nigrum ueratrum, & peplium cum odoratis utpote dauco, feseli, cymino, aniso, & sylphij succo connectit, hæc enim medicamentorum uim corrigunt, ut rectè eo loci interpretabatur Galenus, ut tutò, et sine corporis partium molestia operentur. Vnde Galenus libello quos et quando purgare oportet, scribebat medicamenta omnia purgantia uentriculum, et maximè ipsius os neruosum, et ualde sensile offendere, mistionemq; aromatum, et odoramentorum adinuentam fuisse, ne sincera pharmacorum ui uentriculi os lædatur: dandam uerò esse operam, ut quæ miscentur, semina extenuante sint, et incidenti facultate, qua sentos humores ita incidant, crassos attenuent, et meatus, per quos educendus est humor crassus, aperiant, ut non solum pharmacorum uim delecteriã corrigant, sed et illorum actionem adiuuẽt: Quem et insequitur Auicennas scribens, Nos interdum medicamentum habere, quod secundum partem iuuat, secundum uerò partem nocuum est: atq; tunc opus esse medicamento, quod illius nocui portionem adimat; neq; enim reliqua pars proficua tollenda est, ut faciunt hi, qui medicamento purgante exhibito Theriacam administrant, ex cuius ui tota prorsus medicamenti soluentis facultas aufertur. Quo uerò ad partes affectas spectat, procurandum à nobis est, ne partes sanæ proximè affectis, ipsæq: affectæ à medicamentis offendãtur, nam habetis historiã casus à Galeno recitati illius, qui uentriculi intemperie laborabat calida, & sicca, cui cum frigida, & humida fuerint administrata, uentriculi quidem imbecillitate persanatus est, sed gula ei fuit perfrigerata, quæ cum nõ potuerit ad propriam temperiem medicamentis deduci, uitio in uitium mutato mortuus tandẽ est; Et Galenus præcipiebat in gulæ phlegmonis incipientibus, ut etsi medicamẽta conueniant, quæ repercutiunt, atq; adstringunt, ea tamen præcaueamus, quæ uim aliquam corruptricem admistã habẽt,

[Marginal notes: 2. de rat. uict. acut. xi. — cap. ulti mo. — 7. meth. med. ca. 8. — 13. meth. ca. 20.]

qualis est calchanth us, misy, sory, chalcitis, æs ustum, & id tale genus, propterea quòd ex his aliquid defluit ad uentrem, ut ipsum non modice officiat: pariter siquis in flegmone aloem exhibeat, parti quidem affectæ nocebit, quoniam etsi ratione partis adstringentis conferre ualeat, non tamen ratione partis soluentis, quæ materiam exagitat.

Quomodo commiscenda sunt medicamenta, quæ accererent, aut tardent medicamenti actionem. Caput Vigesimum.

ERat tertius compositionis usus medicamentorum, quando adest medicamentum, quod aut tarde operationem perficit, nos uerò eius festinationem exoptamus, aut contrà citò functionem efficere aptum est, cupiamus autem eam tardiorem. Verum cum tarditas medicamenti triffariã esse posit, aut quando ipsum suapte natura tardè operatur, aut quando ab aliqua crasitie, uisciditateuè eius actio impeditur, aut ob loci distantiam, cui apponi, opitulariq; debet: contrà uerò celeritas ex tribus contrarijs causis pendeat, aut ratione ipsiusmet medicamenti suapte natura actionem accelerantis, aut ob eius fluidam, & tenuem substantiam, aut ob loci uiciniam, Ratione quidem primę causæ retardantis cum eo medicamento ex natura pigro miscenda sunt, quæ id accellerandi uim habeant; si enim cupiamus Aloem quod soluendi uim tardam obtinet, ut eius acceleretur functio, zingiber ei est admiscendum: si uerò sit medicamentum, quod partes crassas, & uiscidas habeat, cuius ratione per angustos meatus transitus prohibeatur, attenuantia tunc, & incidentia sunt admiscẽda, ut pote in Trochiscis apud Auicennam, in quibus crocum eis admiscetur, quod sua tenuitate medicamenti illius ad partes etiam remotas operationem accellerat. Pariter sit medicamentum, quod longum iter est moliturum, partes uerò angustæ, seu obstructæ præ

impediant, tunc cum eo aliud medicamentum tenuium partium est immiſcendum,ut pote fæniculus,aniſum, & huiuſmodi. Quòd ſi contrà indigeamus medicamento actionē retardante, tunc immiſcendum erit quippiam frigidæ,& mediocris temperici cum medicamento tenuium & calidarum partium.Sit enim uitium in iecore,obſtructio nempè,ſi hoc caſu exhibeamus, quæ iecoris obſtructionem ualide adaperiant,hæc utiq; cum calidarum, & tenuium ſint partium, iecoris ſubſtantiam pertranſient, ac proinde id nō præſtabūt, quod noſtrum erat propoſitum:at ſi cum his quędam addamus,quæ mediocris ſint temperiei, aut ad frigidum declinantis, eius in hępate functionem tardabimus. Nec ſecus ſi euacuandum ſit,medicamentum uerò id ſuapte natura purgatorium in uentriculo non moretur,ſed ulterius elabatur, tūc id cū aliquo frigido,& craſſo propinabimus, ut diutina in uentriculo mora efficiatur, ſuamq; ibidem longo tēpore actionē perficiat. Ratione uerò fluidæ,& tenuis ſubſtantiæ medicamenti compoſitio efficitur, ut exempli gratia quando ei admiſcemus opium, quod uires medicamenti per corpus diſtributi tot coctionibus reſolui prohibeat: Ratione uerò loci propinqui, ut in exemplo tradito uentriculi affecti, dum in forma pillulari aloem, abſynthium & id tale genus exhibemus ea ipſa cum melle, uel alio conſimili permiſcentes.

Quomodo ſunt commiſcenda medicamenta, ut grata,& inodora guſtui & odoratui, & reliquis ſenſibus reddantur, Cap. Vigeſimumprimum.

QVartus erat componendi medicamenta uſus, ut gratum, iucundum, & inodorum, quod propinandum eſt, reddamus: cum enim purgatoria præſertim medicamenta horribilia ſint, & guſti noſtro ingrata, ut proinde naturæ etiam noſtrę uel maxime aduerſaria, & inimica

fint, sæpisſime uerò Galeno teſte uomitum, nauſeam & alia maximi momenti ſymptomata excitent, procurandum utiq; eſt, ut cum odoratis & gratis commiſceantur: Et quoniam medicamenta hæc modò aliquibus ingrata ſunt uiſu, modò odoratu, modò guſtu, & modò tactu, iuxta hos quatuor ſenſus prout opus, & neceſſarium erit, ea ipſa caſtigabimus apponendo alia, quæ unum ex dictis ſenſibus, aut omnes etiam oblectentur. Quo ad uiſum quidem Galenus libro primo de compoſitione medicamentorum per genera complura ex his miſta recenſet, quæ uariis ſunt inſignita coloribus, ut modò unum, modò aliud eligamus, pro ut utendi neceſsitas aderit. Blandietur etiam odoratui medicus, ſi medicamenta odorata conficiet, qualia ſunt plurima apud ipſum Galenum tertio præcitato libro, ſolent enim hæc, & ſimilia etiam per os aſſumenda libenti animo à delicatis præſertim hominibus capi, aut ſufferri, qui ingrata, & inſuauia medicamenta olfacere nequeunt. ob id Galenus ex Cleopatra medico ad capillos in capite gignendos medicamentum componebat ex ſucco radicum arundinis, muſcis uſtis, & oleo cedrino, quibus adiiciebat uinum odoratum, & paſſum, ut odor ille tetrus medicamenti obtundatur: ſic & pro pilis attenuandis, & extergendis, medicamentis ex nitro, ſępię oſſe, & pumice odorata immiſcet, ut pote cyperum, ſchęnantos, mellilotũ, roſas, & huiuſmodi alia: Sic & aliàs abſynthium aqua feruẽti tingendum præcipit, poſtea oleo incoquendum ad uentris fomentum, atq; corroborationem, quemadmodum & unguẽta illa foliata, & ſpicata, et alia iſtiuſmodi, quę in gratiam mulierum delicatarum, & ad luxum Romanorum conficiebantur. Guſtui quinetiam indulgendum eſt, dum medicamẽtum componimus, hæc enim primum ab ægrotantibus melius aſſumuntur, mox uero à uentriculo promptius complectuntur, & detinentur. ut enim ex ſententia Hippo. et Galeni paulò deterior cibus, & potus ſuauior tamen melioribus, et minus ſuauibus eſt præferendus, ſic & medicamenta, quæ ſuauiora ſunt, et gratiora, libentius ab ægrotante accipientur, et promptius à uentriculo cõtinebuntur, quàm ſi inſua-

1. de compo. med. p gen. c. 3.

1. de compo. med. p loca. cap. 1.

8. meth. med. cap. 5.

2. aphoris. 38.

6. de compo. med. p loca uia sint, atq; ingrata. Vnde Gal. diamoron componit ad oris, et fauciũ affectus, ut melle succus ille mororũ obscuretur, q̃uis in principio morbi magis cõgruũ sit ex succo mororum medicamentum: eadem saporis gratia uinum phalernum acre, odoratissimum Mithridario, Theriacæ, et aliis antidotis Gal. libro de antidotis immiscere docet, ut amarorum in illas antidotos ingredientium insuauitatem contegat, quemadmodmum & ueteres facere soliti erant. Nec secus Hippo. & Gal. ueratro nigro daucum, uel

2. d̄ rat. uict. acut. 11. lib. 1. de nat. hum. 1. de compo. med. p gen. c. 6. seseli, uel cyminum, uel anisum immiscent; his enim, & similibus condimentis purgantis insuauitas castigatur, ut uentriculo, & ori gratius sit medicamentum. Blanditur postremò tactui medicus, ut in eo medicamento Galenus, quod argentum & hydreleum recipit, ei oleum rosaceum recens admiscens, ut blandum id fiat, neq; durum sit, neq; exasperans: quod itidem faciunt nostri, dum aliquod est pharmacum, quod duritie tactui nostro molestum sit, idq; aliquo liquore emolliunt.

Quo pactò medicamenta componuntur, ut diutius seruentur pro commodo actionis usu. Cap. Vigesimumsecundum.

POstremus deniq; usus à nobis superius propositus, ut .s. medicamenta diutius seruentur, compositioni medicamentorum necessarius est, tùm quoniam quædam sunt pharmaca, quæ omnibus temporibus reperiri nequeunt, tùm quoniam ex longiori temporis spacio exactior, & perfectior

6. de ocmpo. med. p. oc. c. 1 mistio resultat: componebat namq; Gal. succum mororum cum melle, quoniam etsi succus ille optimus sit incipientibus inflammationibus, uerum quoniam facile corrumpitur, neq; toto anni tempore simplex seruari potest, neq; etiam ex plantis haberi, ob id melle admistus, & unà coctus commodè asseruatur, ut per totum annum haberi queat. Succi

præ-

præterea in cōpositione seruantur nostris temporibus, qui ad parandos, concoquendosq; humores administrantur, atq; ex his Aromatarij nostri syrupos uocatos conficiunt, in quibus saccarum, seu mel ingreditur, quandoq; etiam acetum adiungitur, ut succi illi per totum annum in compositione illa seruentur: componuntur etiam antidoti nobiles ex prædictis ingredientibus, ut dum diu seruantur, medicamenta illa communem quandam præexcellentem formam acquirant, qualis est, quæ ex Theriaca, Mithridatio, & huiusmodi Antidotis fermentaris, & adultioribus habetur.

Quæ cognoscenda sunt, ut habeatur dosis componendi medicamenta. Cap. Vigesimumtertium.

Ostensa methodo, qua ex prædictis causis cogitur rationalis medicus medicamenta componere, superest, ut de certa dosi, seu quantitate medicamenti componendi, aut ab alijs compositi exhibendi uerba faciamus, neq; enim satis est medicamenta in unum commista esse, sed debita, & methodica quadam proportione, ita ut quod actionem effecturum est, in sua sit dosi, quod uerò actioni profuturum, in altera sibi decenti quantitate: cum uerò medicamenta ad duo, aut tria ad summum capita deducantur, aut enim alterant, aut euacuant, aut corroborant, ut nonnulli adiungunt, quamuis meo quidem iudicio tertium hoc membrum sub alterantibus rectius subnectendum sit, siquidem membrum laxatum nonnisi exiccantibus est medicandum, ac proinde alterandum, ex qua quidem alteratione necessariò membri corroboratio consequitur, de alterantibus primum, mox & de euacuationibus agemus: Vt autem hæc medicamentorum alterantium dosis habeatur, tria optimè callenda sunt, primum quidem cuiusq; medicamenti simplicis facultates, tùm primas, tùm secundas, & tertias, secundò quænam singulorum medicamen torum præfinita seiunctim

sit dosis,& quantitas, ac postremò ut si nobis in animo sit compositum aliquod medicamentum conficere,omnia insimul adaptemus ea proportione, ut si una debeat fieri actio, unum ẽt medicamentũ pro basi sit,ac fundamento , si uerò multiplex,aut contraria,aut dissimilis, plura etiam in composito talia operentur,reliqua autẽ actioni,aut actionibus famulentur : aut si composito medicamento uti uelimus,eo selecto ex omnibus ut recte diiudicemus , quis nam excessus in qualitatibus primis, & si fieri potest,in aliis resultet,dum inuicem refranguntur , & remmittuntur . Primum quidem & si non admodum difficile uideatur,non adeo tamen est facile, ut superius intellexistis; potestis quidem ex scriptoribus habere piper ordine tertio calidum esse, ac siccum, opium uerò frigidum ad quartum , sic & de aliis omnibus tum alterantibus,tum euacuantibus medicamentis , at non facile licet cognoscere, & scire, quomodo gradus hi tum in naturali,tum in artificiali ex qualitatibus compositione resultent; quoniam si AlKindum insequamini,alio modo incedendum est , q̃ Auerroes cum Galeno progressus est ; Si uerò Auerroim sectamini , diuerso ex graduationis modo tota composita , etiam gradu distinguentur ; qui enim AlKindi calculum insequuntur,Theriacam ordine primo calidam reperiunt,at Gal.Auic.& Auer.quoniam meliorem graduandi uiam amplexi sunt,eam ualdè calidam ultra primum constituunt : quam sanè uiam nos insequi uehementer cupio , ita ut supra temperatum una semper pars sit, altera uerò per unum imminuta,calidum nanq; in primo (ut determinatum est prius) quatuor partes calidi habet , & tres frigidi,calidum uerò in secundo quatuor calidi,& duas frigidi , calidum uerò in tertio quatuor calidi, & unam frigidi,sicut calidum in quarto, omnes fermè calidas, & enim ueluti ignis est: quod itidem de medicamentis frigidis , aridis, & humidis dicatur . At secundum adhuc difficilius est , siquidem arduaᵉ ualde fuit indagatio certæ dosis, seu quantitatis cuiusq; simplicis medicamenti administrandi,ut enim scintillę ignis millesima pars non urit, tametsi qualitate calida &

ficca cum toto igne communicet,sic neq; exigua simpliciū medicamentorum portio corpus nostrum afficiet, neq; immutabit,non quidem,ut Clarissimus Montanus existimauit, quoniam non in eo est gradu, in quo adesse debebat, hoc.n. placitum à nobis superius explosum est, sed quoniam à contrario suffocatur, & subitò restinguitur, ut sua exiguitate nequaquam agere queat : quòd si debita proportione respondens quantitas corpori adhibeatur, tunc neq; à contrario destruetur, neq; à corpore nostro confestim uincetur. Dosis,seu quantitas hæc non nisi obseruatione & experimento à nostris præcessoribus depræhensa est, mox uerò artificiosa coniectura corroborata, experimento quidem cognitum est in medicamentis alterantibus medicamentum in quarto gradu à granis quatuor ad scrupulum in uariis corporibus ad immutationem sufficere: quod uerò in tertio est ordine,à scrupulo ad quinq;, quodq; secundo est gradu ascendere à quinq; scrupulis ad Onc. i. & postremò medicamentum primi ordinis metam habere ab uncia ad quinq; : quæ uerò temperata sunt,cum potius cibaria censeantur, quàm medicamenta secundum uirium robur suas habent doses : At artificiali coniectura mox roboratum est tales doses in diuersis corporibus satis esse, neq; ad maiorem, neq; ad minorem dosim progredi licere: Cæterum quænam certa dosis intra totam eam latitudinem sit præscribenda, & à quo desumatur, Alkindi sectatoribus haud difficile uisum est, at Galeno, & eius sequacibus ualde arduum, atq; difficile: Qui enim eam AlKindi graduationem sectantur, ratione monstrare contendunt, totam eam latitudinem exempli gratia calidi ut quatuor, seu in quarto, à granis quatuor ad scrupulum, pariter & aliorum, ex ipsius gradus latitudine emanare ; cùm enim gradus quartus exempli gratia suppositus ex eorum sentētia constitutus sit ad tertium gradum per duplam proportionem, ut in eo sexdecim sint calidi partes, & una frigidi, habeatq; tres mansiones, primam quidem uersus tertium gradum, postremam uerò uersus maximam ipsius intensionem, & mediam

inter utramq;, decernunt fieri non posse, ut non nisi tres ab hoc gradu, qui in tres has mansiones dissectus est, doses emanent, maxima quidem, quæ unius est scrupuli, quando medicamentum in prima huius gradus distantia, & mansione erit, minima, quæ est quatuor granorum, quando medicamentum tertiam huius mansionem occupat, & mediocris, quando in media sit, atq; secunda mansione: quod itidem & de aliis gradibus est statuendum. Verum ex superioribus à nobis ostensum est falsum esse hanc dari insignem latitudinem graduum, ut hoc destructo fundamento eorum quoq; placitum corruat necesse sit: insuper ab eis petam cur est in quarto gradu minimam esse quatuor granorum dosim? utiq; nil aliud respondebunt quàm hoc experimento monstratum esse, neq; enim id ratione habetur. quòd si hæc minima quantitas ratione monstrari nequit, igitur neq; doses aliæ ratione conuincentur, ut hi apertè prędicant.

Certa, & pręfinita ex quibus habeatur medicamenti dosis, secundum Gal. Aui. & Auer. Caput uigesimumquartum.

Mittamus itaq; horum sententiam, & ueram quantitatis præfinitæ regulam ex probatissimis autoribus recipiamus, quæ sola medico exercitatissimo, & occulatissimo conuenit, recurramus autem pro huius enodatione ad Auicennam, qui Galeno concors ex duobus potissimum metam hanc medicamenti haberi posse decernit, natura nempè corporis, & recenti affectionis recessu à naturali statu: quibus adnectendam esse iubet ætatis, consuetudinis, artis, uirium, & corporis habitus contemplationem, tamquàm coindicationes, seu contraindicationes quasdam. Est autem in primis à medico perpendenda corporis, & cuiusq; membri natura, quæ ex quatuor præsertim pendet temperie, conformatione, situ, & facultate hanc illamuè medicamenti dosim

4. primi cap. 1. 2. ad Glauc. ca. 2.

admittentibus, aut prohibentibus: temperies namq; ægrotantis, & eius membrorum ob id medicamentorum dosim exactã præscribit, quoniam molliora & magis delitiosa corpora, aut membra mitius tractanda sunt, nam licet quantitas gradum non adaugeat, ut superius determinatum est, potest tamen ratione perseuerantiæ nocumentum quid eis inferre: quæ uerò robustiora & minus deliciosa sunt, maiorem dosim exposcunt, resistunt namq; imprimenti, neq; adeo ex temporis diuturnitate noxam percipiunt: adhęc proximarum partium sanarum temperies est obseruanda, ne ratione maioris molis, qua diuturniori tempore medicamenta in corpus agunt, partes hæ offendantur, & ad contrarium statũ cõtrahantur. indicant quinetiam medicamentorum certam mensuram conformationes, quæ meatibus, & cauitatibus constant: quò enim membra sunt rariora, eò etiam minorem medicamenti portionem requirent; facile nanq; subit, & cõtraria ui oppugnare potest: quò uerò densiora, & magis compacta maiori etiam dosi indigent, quandoquidem dum meant per corpus, aliquid semper deperditur, ut deinc congruam non efficiant actionem. Situs præterea eadem ex causa maxime facit ad augendam, imminuendamuè dosim, quæ enim penitiores sunt partes alterandæ, maiori indigẽt medicamenti portione, proptereaquòd priusq̃ ad loca pertingat, ipsius uis ex parte dissoluitur, ut eam quantitate adaugere cogamur: contrà uerò si partes extimæ, uel proximæ sint, minorem ex medicamento dosim exposcunt, quæ nullo existente obstaculo, seu prohibente pro alterationis scopo sufficiet. indicatur deniq; dosis intra proprios limites existens à facultate, quæ penès duo attenditur, aut partium dignitatem, atq; officium, aut facilitatem, difficultatemuè earundem ad sentiendum: quæ enim principes sunt partes, quoniam toti deseruiunt, minorem medicamenti quantitatẽ expetunt, atq; potissimum si quod ei noxium insertum sit, quæ uerò ignobiliores maiori ex eo dosi egebunt: pariter quæ acuti sunt sensus partes, eis minori sub quantitate medicamenta sunt exhibenda, quæ uerò obtusiori sunt sensu, ma

iorem dosim expostulant. contemplandus secundò recessus præter naturam est à naturali statu, qui si inueteratus est maxima dosi indiget, ut tempore saltim diuturniori leuetur, si uerò recens, non admodum magnam illam dosim requiret, tantò uerò minorem, quantò etiam recentior erit affectus. Non omitendæ deniq; & aliæ coindicationes, & cotraindicationes sunt, quæ certæ & præfinitæ dosi reperiendæ uel maxime conferunt, sexus enim mulieris minorem alterationis quantitatem suffert, homines uerò maiorem, ætas quoq; huius dosis inuentionem adiuuat, quoniam Galenus minorem ex Theriaca dosim exhibet iuuenibus, quàm senibus, ob uehementem eorum calorem: adhęc consuetudo, tempus anni, ars, uires, & corporis habitus suadent, aut dissuadent, ut hanc, illamuè medicamenti dosim exhibeamus. Quod quidem singillatim ostenderem, nisi res ipsa ex dictis pateret.

Quomodo aptandum sit medicamentum à nobis, ut Scopo nostro inseruiat ex supra dictis. Cap. Vigesimumquintum.

HAbita medicamentorum in compositum ingredientium pro quaq; uice dosi, & præfinita quantitate, si uobis in animo sit, compositum aliquod parare, debetis in primis uobis proponere scopum seu scopos affectuum curandorum, seu conseruandorum, siue hi sint morborum, siue causarum, siue symptomatum insignium, quæ aut morbi, aut causæ rationem subeunt, atq; seligere medicamentum, seu medicamenta, quæ illi scopo, seu scopis, tùm quoad qualitatē, tùm quoad quantitatem oppugnent: Erunt autem hæc medicamenti totius componendi bases, quæ tali nomine à nostris iure insigniuntur, sunt & enim in compositione perinde, atq; in ędificiis fundamenta, & bases, quibus totum ædificium innititur: Neq; immemores sitis idipsum

naturam sibi prop onere, dum aliquod instumentum ex pluribus partibus componit, & unit pro aliqua insigni operatione molienda, quam quidem naturam & uos æmulari cupio, ut boni sitis compositores: Natura enim (ut superius quoq; à nobis dictum est) dum instrumentum ad actionem unam, uel plures edendas conficit, unam præcipuam partem simplicem, uel plures deligit pro illis functionibus perficiendis, reliquis uerò utitur, ut præcipuis deseruiant, & opem ferant. Basis itaq; unica à uobis est deligenda, si una futura est medicamenti actio, plures uerò, si & plures scopi proponantur; qui cum & similes, & dissimiles, & contrarii esse possint, tales compositiones ex medicamentis erunt, tum quoad primas, tum quoad secundas, & tertias qualitates, statuendaq; ex eo, uel pluribus medicamentis dosis, & quantitas illa, quæ illi conuenit gradui: vt exempli gratia uetriculus, uel cerebrum infrigidatum est ad tertium ordinem, deligendum est piper, quod in tertio pariter gradu calidum est, atq; ad ʒ. I. pro dosi capiendum, diximus nãq; ex medicamento calido in tertio ordine totam esse à scrupulo ad quinq; fermè latitudinem. At quoniam piper tenuium est partium, ut facilime priusquàm actionem perficiat, dissoluatur, rationeq; sui acroris fauces, & guttur, & alias partes mordicat, atq; succendit, citius quinetiam quàm expediat, actionem suam promit, & molesti quodammodo gustus est, ac deniq; conseruatione indiget, ne euanescat; ob id ad omnia hæc respiciendum est, & eis quoad fieri potest, resistendum, ut inde optima ex medicamento actio consequatur: Quo loco se offert dubitandi occasio, in qua dosi medicamenta hęc adiuuantia toti composito sint immiscenda, hoc enim necessarium est scire, alioquin indefinite, atq; indistincte ulla absq; ratione, & methodo compositum aliqđ uobis comparabitis, quod etsi actioni propositæ conferat, non tamen exactè, neq; tutè, neq; cum iucunditate: quæ quidem omnia ex medicamentis utilitatem actioni pręstantibus consequuntur.

Quomodo, & qua dosi aptandæ sunt medicamenta usu actioni conferentia, siue ipsimet medicamento præcipuo, quod basis est. Caput Vigesimumsextum.

VT autem sciatis, & his adiuuantibus medicamentis certam dosim præscribere, usus singuli memoria tenendi sunt, non enim omnes eadem indigent dosi: atq; in primis si primus adsit usus, qui qualitati actionis conuenit, cum duplex esse posit, quoniam aut deducit interius medicamentum, quod loco affecto conferre debet, aut quadantenus in loco ipsum remoratur, si primo opus sit adiuumento, ut exempli gratia unciæ, aut duabus unciis hordei (est enim frigidum & siccum in primo) multam aquæ copiam immiscere possumus usq; ad libram & semis, ex quibus fiat decoctio qua per clystere, si ulcus adsit in intestinis, commodè ad locum affectum deducatur medicamentum. at si medicamentum parti affectæ firmandum sit, tantum ei addendum erit ex altero medicamento, quantum opus sit pro ea detentione, aut adhæsione præcipui medicamenti: nam si oleum ex absynthio regioni uentriculi est imponendum, aut puluis ex ablynthio, cinnamomo, & huiusmodi, oleo quidem cæram ad dimidium eius immiscebimus, pulueribus uerò resinam, therebinthum, styracem, & similia gumosa ad duplum eorum, parti uel optimè adhærentia. Quòd si quantitati actionis respiciamus, quæ impediri potest, aut ab eius substantia crassa, aut tenui, aut loco ualde remoto, atq; angusto, uarianda quoq; erit dosis medicamentorum, quæ aliquem ex his actioni usum præstabunt; Si enim crassa sit medicamenti substantia adiuuans medicamentum ad quartam, & quintam quandoq; partem immiscemus, quemadmodum medici nostri ex Galeno in dolore capitis ex æstu oxyrodinum conficiunt, in quo oleo rosaceo, aut mirthino aceti quintam partem immiscent, sicut alij Serapionem sequuti, quartam, & tertiam, quando acetum non adeo acriorum sit

partium,

partium, & ipſo quoq; uti præcipuo medicamento actione producente abutuntur. At ſi medicamentum tenue, aut fluxile ſit, quod facile euaneſcat, priuſquàm in membrum actionem producat, in doſi idem aut conſimile ad duplum aut triplum eſt augendum, aut aliquod tenacius, & craſsius ei ad dimidium addendum; hac enim de cauſa, qui diatriôpipereon compoſuere tria piperum genera æquali pondere immiſcuere: ut autem craſsius, & minus fluxile reddatur, dimidium, aut æquale aut duplum ponderis ex medicamento ei immiſcemus, pro ut maior, uel minor incraſſandi uis neceſſaria eſt: quomodo in Dioſpolitico facit Galenus, qui medicamentis in ipſum ingredientibus multã mellis copiam admiſcet, ut ſua craſsitie aluum deiiciat, quando ſi in tenuem puluerem redigatur abſq; melle per corpus promptius dilabatur; itidem à nobis fit abſynthij, maſtiches, mentæ & ſimilium cum oleis, & reſinis medietatem adnectentibus, dum uentriculi affectibus frigidis, & imbecillitati opitulari contendimus. Vt uerò ob remotum, anguſtumq; locum actio medicamenti auxiliemur, ſi id craſſę ſit ſubſtantiæ, aliquid tenue & in pollinem redactum ad æquale pondus ei eſt admiſcendum, & ſi liquidum ſit, ad duplum etiam menſura: uinum enim & id tale per uniuerſum corpus medicamentum deducit: quę uerò ſemina urinam prouocant eodem pondere ut, & medicamenta, quæ renalibus affectibus calidis opitulantur, promptius ea ipſa pharmaca ad partes affectas promouent. Maiori uerò diligentia utendum eſt, ut ex medicamento, quod actionem eſt effecturum, nocumentum auferamus, nam ſi id in gradu malam membri, aut totius corporis intemperiem excedat, tanta ex adiuuante aliquo medicamento doſis eſt immiſcenda, quanta gradum illum excedentem obtundat, exempli gratia ſi affectui frigido ut duo medicamentum calidum ut tria paretur hanc uerò actionem, quæ excedere poſsit intemperies expoſcit, frigido ut unum medicamento caſtigare exoptemus, medicamento calido ad drachmam unam aliud frigidum ad unciam unam imponendum erit, hæc enim utriuſq; intra

4. de tuend. nal.c. 5.

propriam latitudinem dosis est: quòd si plura huiusce ordinis subiicere statuamus, quæ hanc præstent utilitatem, tota ea quantitas unciæ unius inter illa partienda erit, quemadmodum in eo medicamento Diarrodonis Abbatis Nicholao adscripti factum fuisse cernimus, in quo rosę adsunt in debita dosi, quę mox partita est in aliis medicamentis, quæ cum rosis basis actionem remittendo ei auxiliantur. Vt autē medicamentum membro, quod toti corpori inseruit, actioniq; communi, quam id præstat, nullam inferat noxam, pręter iuuantis pharmaci prælectionem, utpote si cerebrū sit affectum, calida moderate, & exiccantia eligamus, si hæpar, moderate frigida, & adstringentia, si cor, odorata, atq; iucunda, æqualem aut paulò minorem ex eo dosim respicientes semper tùm ad præcipuum medicamentum, tùm ad uiam, per quam transiturum est, administrabimus. Sic enim Gallus medicus teste Galeno Cyphoides medicamentum composuit, sic & Andromachus alterum eiusdem nominis ad hæpaticos affectus, in quibus etsi emollientia, & hepatis substantiam imbecillam reddentia imponat, eis tamen non minori dosi alia permiscet, quæ uisceris robur custodiant, & actionem castigent, & corrigant. At si sanarum partium tutellam suscipiamus, dosis eorum medicamentorum est immiscenda, quæ oppugnet quidem medicamenti malitiæ, non tamen prohibeat actionem, quemadmodum fecit autor ille Philonij Romani, qui ad castigationem frigidorum, & ueneficorum medicamentorum hyosciami, & opij, piper album, crocum, & alia ad dictorum æqualitatem imponit. Neq; minor cura medico est adhibenda, dum tertio usui satisfacere exoptat adiuuans prefinita dosi cum principe medicamento connectens: acceleratur namq; actio, dum crassiori tenuius medicamentum ad dimidium iniungitur, contrà uerò retardatur, si tenuiori pariter crassius in eadem quantitate immisceatur, quemadmodum factum est in medicamento Diatrionpipereon, quod ex triplici piperum genere constat, ex quibus cum festina operatio futura sit, ex adiectione anisi, thymi, & zingiberis substantia crassiorum

8. de cōpos. med. p loc. c. 7.

ad dimidium, medicamenti actio retardatur: Sic & in Theriaca, quæ ex calidis constat, opio,& aliis frigidis idem effici intuemur. Quod uerò gratum reddit, atq; iucundum medicamentum tripla, & quandoq; quadrupla ad reliqua dosi iniiciendum est: Antidoti namq;,quæ præter hunc usum cõseruationem etiam expostulant, triplam ex his dosim habẽt, aliȩ uerò compositiones quadrupla quantitate ad omnia ingredientia contentæ sunt; huius autem causam libro nostro de Theriaca fusius explicauimus, ut hoc loco eam repetere superuacaneum uideatur. Non immorabor autem circa dosim eorum medicamentorum, quæ sensibus aliis indulgere debent, hæc enim non in magna copia sunt immiscenda, nisi aliquem alium præstent usum, sicut facit Galenus libris de compositione medicamentorum per genera, & alibi sæpius: inter cæteras uerò compositiones Theriacam habetis, in qua chalcitis usta ad colorem subobscurum & nigrum conciliandum in parua satis quantitate est collocata. De medicamenti uerò quantitate, quo totum seruatur medicamentum superius dicta sufficient, quæq; nostro libro de Theriaca sunt demonstrata: statuatur autem si unum sit medicamentum ad triplum, aut quadruplum omnium ingredientium immisceri, si uerò duo,ut in Theriaca uinum, & mel eadem dosi utrumq; iunctum, sed ex uno quidem ut pote uino qđ satis sit, ad liquabilia dissoluenda, ex altero uerò, quod dosim prædictam æquet.

Exercitium in alterantibus medicamentis,& potissimum Theriaca pro diiudicandis eorum facultatibus, basibus, adiuuantibus bases, & certa temperie, & dosi. Caput Vigesimumseptimum.

Restat, ut in alterantibus medicamentis ab aliis compositis, quod à nobis determinatum est, sic se habere monstremus, id enim ueluti exercitium quoddam erit tùm

ad diiudicandas aliorum confectiones, tùm ad quædam & uobis ipsis rectè aptanda medicamenta: Neq; admodum lõgiores erimus, sed duobus, tribusuè ad summum pro exẽplo monstratis ad purgatoria properabimus. Exerceamini itaq; primũ in cõpositis, quæ ex paucioribus constant ingredietib., mox uerò ad magis cõposita condescẽdatis: Accipiatis autem primũ oximel simplex ab ipso Galeno descriptũ, in quo cum mel, acetũ, & aqua immisceantur, mel quidẽ pro basi locatur, quod sua calida & sicca ad secundũ ordinẽ prima facultate mo-
4. de tuend. ual. c. 6. derate quoq; uentriculum, & corporis partes calidas efficit, secundis uerò qualitatibus mediocriter incidit, atq; attenuat crassos, uiscidosq; humores: duo uerò reliqua acetum & aqua basi opem ferunt, acetum nanq; & aqua tenuitate partium abstersionem, & incisionem adiuuant, mellisq; actionẽ accelerant, tutam quinetiam reddunt, ne intestinis, aut aliis partibus detrimentum quid inferatur: mox progrediamini ad Diatriõpipereon, cuius tres sunt bases similes ad unam actionem conspirantes nimirum tria piperum genera, quæ tẽperiem ad calidum ualde contrahere possunt, atq; uehementer exiccare: reliqua uerò basium gratia adiecta sunt, pro ut necessitas erat in eo medicamento: sunt autem in primis anisum, Thymum, & Zingiber in aceto macerata ad medietatem basium, tum ut actionis qualitati opitulentur, ut & priora medicamenta, tum ut sua crassiuscula substantia aceto macerata tardior reddatur operatio: Quibus additum est mel non solum ob prædictos duos usus, sed & ut gustui gratius pharmacum fiat, & acror piperum remittatur, ut tute operetur, & deniq; diutius incolume seruetur: postremò ad maxime composita medicamenta deueniendum est, in quibus plures sunt bases, & plurima quoq; eis basibus adminiculantia, inter quæ proponatis uobis antidotum illam regiam Theriacam, ab omnibus nuncupatam, hæc .n. omnium medicamentorum alterantium regula est, quam Doctissimus, & prudentissimus Andromachus senior græcis uersibus descripsit, in qua ex nostra methodo quatuor examinãda erunt, primum cuiusnam facultatis, & quo gradu sint sin

gula medicamēta, quæ in eam statuūtur, secundo in refractio ne qualitatum omnium quis temperiei totius compositi Medicamenti gradus resiliat, tertiò quæ bases in ea sunt, est enim antidotus, seu medicamentum polychriston, hoc est multorum usuum: ac postremò, quæ actiones adiuuant, quæq; basibus usum præstant: Quo ad primum spectat, si non uultis ad nostram de Theriaca tractationem confuge- re, in qua temperies medicamentorum in Theriacam ingre dientium habere potestis, adeatis Galennm libro de simpli ci medicina, & alios clasicos medicos, qui eas adamus sim constituerè, quoniam his habitis facile quoq; erit secundum propositū habere. Nos uerò, qui laborem hunc à uobis ammouere stu demus, tabellam quandam excogitaui mus, qua utrunq; propositum manifestissime conspicietur, spe rantes etiam eandem non inutilem fore ad omnia composita trutinan- da medicamen- ta: est autem talis.



MEDICAMENTORVM SIMPLICIVM temperies, gradus, & dosis in Theriaca, & totius compositionis graduatio.

		cal.	par.	Frig.	Sic. hum.
Prima partitio Drach. 48.	Trochiscorũ Scillinorũ cal. Siccorũ ordine secũdo. Doses 24.	96	48	96	48.
	Trochi. è uipera cal. sic. ord. 2. D. 12.	48	24	48	24
Partitio 2. Drach. 24.	Magma. Hedycroi cal. sic. 2. D. 12.	48	24	48	24
	Piperis longi cal. sic. 3. D. 4.	96	24	96	24
	Opii frig. 4. D. 72. sic. 3 D 24.	36	288	96	24
	Rosarum frig. i. Do. 1. Sic. 2. D. 6.	6	8	24	12
Partitio 3. Drach. 12.	Iridis cal. 2. Do: 6. sic. 3. D. 12.	24	12	48	12
	Glycyrrizæ cal. hum. i. Do. 2.	8	6	6	3
	Sem. Buniados cal. sic. 2. Dos. 6.	24	12	24	12
	Scordii cal. sic. ord. 3. Dos. 12.	48	12	48	12
	Opobalsami cal. sic. 3. Dos. 6.	24	12	24	12
	Cinnamomi cal. sic. 3. Dos. 12.	48	12	48	12
	Agarici. Cal. i. D. 2. sic. 2. D. 6.	8	6	24	12
Partitio 4. Drach. 6.	Myrrhæ cal. sic. 2. Dos. 3.	12	6	12	6
	Croci cal. 2. D. 3. sic. i. Dos. i.	12	6	4	3
	Costi cal. sic. 3. Dos. 6.	24	6	24	6

Casfiæ ligneæ cal. fic. 3. Dof. 6.	24	6	24	6
Nardi Indicæ cal.1.D.1.fic.2.D.3.	4	3	12	6
Thuris cal. 2. D. 3. fic. 1. D. 1.	12	6	4	13
Piperis albi cal. fic. 3. Dof. 6.	24	6	24	6
Piperis nigri cal. fic. 3. Dof. 6.	24	6	24	6
Marrubii cal.2. D.3.fic.3.D. 6.	12	6	24	6
Iunci odorati cal. fic. 2. Dof.3.	12	6	12	6
Dictamni cret.cal.fic.3.Dof.6.	24	6	24	6
Rheipont.Cal.1.D.1.fic.2.Dof.3.	4	3	12	6
Stęcados. cal. 1.D. 1. fic.2.D.3.	4	3	12	6
Petrofelini cal. fic. 3. Dof. 6.	24	6	24	6
Calaminthæ cal. fic. 3. Dof.6.	24	6	24	6
Terebenthinæ cal. fic.2.Dof.3.	12	6	12	6
Zingiberis cal.3.D.6.fic.2.D.3.	24	6	12	6
Pentaphylli cal. 1. D.1.fic.3.D.6.	4	3	24	6
Polii cal. 2. Dof. 2. fic.3.D.4.	8	4	16	4
Camæpythios cal.2.D.2.fic.3.D.4.	8	4	16	4
Styracis cal.1.Dos .1. fic. 2. D.2.	4	3	8	4
Amoini cal. fic. 3. Dof. 4.	16	4	16	4
Mei calid. fic. ord. 2. Dof. 2.	8	4	8	4
Nardi Gallicæ cal.1.D.1.fic.2.D.2.	4	3	8	4
Rub. lem. frig. 1.D.1. fic.2.D.2.	3	4	8	4
Phu Pontici cal. fic. 2. Dof. 2.	8	4	8	4
Sem.Camedreos.cal.fic.3.Dof.4.	16	4	16	4
Malabathri cal.1.D.1. fic 2.D. 2.	4	3	8	4
Chalcitidis uftæ cal.fic. 3. D. 4.	16	4	16	4
Gentianæ cal. 3.D. 4. fic.2.d.2.	16	4	8	4

Partitio 5. Drach. 4.

	Aniſorum. cal. ſic. 3. Doſ. 4.	16	4	16	4
	Hippocyſtidos frig.i.D.i.ſic,3.D 4.	3	4	16	4
	Carpobalſami cal, ſic.2. Doſ.2.	8	4	8	4
	Gummi Cal. ſic. ord.2.Doſ. 2.	8	4	8	4
	Fæniculi cal.3. D. 4. ſic. 2. D.2.	16	4	8	4
	Cardamomi cal. ſic.3. D. 4.	16	4	16	4
	Seſeleos cal. ſic.2.D. 2:	8	4	8	4
	Acaciæ frig.i.D.i.ſic.3.D.4	3	4	16	4
	Thlaſpeos cal.ſic.3.Doſ.4.	16	4	16	4
	Hyperici cal.ſic.3.Doſ.4.	16	4	16	4
	Sagapeni cal.ſic.3.Doſ.4.	16	4	16	4
	Ameos cal.ſic.3.Doſ.4.	16	4	16	4
	Caſtorei cal.4.D.6.ſic.2.D.i.	24	3	4	3
	Ariſtolochiæ cal.3.D.2 ſic.2.D.i.	8	2	4	2
	Dauci cal.ſic.ord.3.Doſ.2.	8	2	8	2
	Bituminis cal.2.D.i.ſic.3.D 2.	4	2	8	2
Partitio 6. Drach.2.	Opopanacis cal,3.D.2.ſic.2.D.i.	8	2	4	2
	Centaurii cal.2.D.i.ſic.3.D.2.	4	2	8	2
	Chalbani cal.3.D. 2.ſic.2.D.i.	8	2	4	2
	Vini átiqui optimi cal.ſic.3.Doſ.318.	1272	318	1272	318
	Mellis optimi cal.ſic.2.Doſ.458.	1832	916	1832	916
	Totius antidoti ex oíbus confractis	calid.	fri.	ſic	hum.
	erút partes in súma uidelicet.	4215	1926	4388	1683

Habetis

HAbetis itaq; calculum totius Theriacæ compositionis quoq; in gradu omnia sint ingredientia medicamenta, est enim si memoria tenetis eorum, quæ à nobis dicta sunt, calida ultra secundum gradum, parum tamen, cum in frigidis à dupla proportione non nisi 182 partes deficiant, si enim 1926 partibus, quæ in ea reperiuntur, eas, 182 addatis, dupla erit proportio ad calidas 4215 At quoad siccam intemperiem quam maximè ad tertium gradum accedit, nã cum gradus tertius siccitatis expletus sit, quando quatuor sint siccitatis partes, una uerò humidi, deficit utiq; ab hoc completo gradu, quoniam cũ sint omnes sicci partes 4388. humidi uerò 1683, ultra quidem quartam exquisite humidi partem, adsunt. 505. partes, per quas etiam siccum superat humidum per duplam proportionem, ut totum medicamentum ad tertii gradus mensuram accedat, non tamen perfectum expleat gradum. Eadem quoq; regula si nostræ determinationi de Trochisiorum scillinorum, è uipera, & hedychroi pastillorum temperie credere nolueritis, uobis incedendum erit; reperietis nanq; tria ea composita in Theriacam ingredientia ad eam in secundo ordine intemperiem accedere. Proinde de Theriacæ temperie quamuis hic uerus sit calculus, comprobari tamen potest ex ipso etiam Galeno, qui à principio libri de antidotis comparans utranq; Antidotum Mithridatium nempè, & Theriacam, ex quibus altera Mithridates Rex, altera uerò Antoninus Imperator utebatur, non solum qua Imperator dosi, & cum quibus eam sumeret, decernit, uerum & quanam ex occasione, & qui nam exinde effectus sint consequuti his uerbis. Nos uerò Antoninum scimus, quo se in primis tutum à ueneno præstaret, singulis diebus tantum Theriacæ, quantum est Ægyptiæ fabæ magnitudo, sumpsisse, interdumq; sine aqua, aut uino eam deglutisse, interdum uerò liquidi quippiã admiscendo ebibisse, sed cum ipsum quotidie inter uitæ functiones quoq; profundo somno corripi accidisset, papaueris succum eximi iussisse. quare rursus euenit, ut quia mos eius antea fuerat, quod naturalem temperaturam corporis

ficciorem haberet, & quia multis iam mensibus exiccantem antidotum accepisset, plurimam noctis partem insomnem duceret. quam ob rem coactus est denuò theriacam assume re, quæ papaueris succum haberet iam aliquo modò inuete ratam. Si igitur Galenus exiccantem antidotum tantum nū cupat, quæ Imperatoris temperiei ficciori aduersabatur nul
5.meth. med.ca. 13. la quippè de caliditate mentione facta, dicendum utiq; est ei insignem calorem non attribuisse: in super libris metho di medendi & illi mulieri, quæ insomnis erat ex fluxione, &
12. meth. med. cap. iuueni dolore intestinorum affecto ex praua humorum fluxione Theriacam exhibuit, quæ si ualde calida fuisset, contrà potius eis nocuisset quàm iuuisset. Hoc autem à nobis dictum sit aduersus eos, qui Theriacam ex Galeni placitis calidissimam esse sunt opinati, qui uerò primo in ordine constituunt, quàm aberrarint, non est, ut multis nitamur, cum ex falsis fundamentis innitantur. His diligenter animaduersis Theriacæ demum uires perpendendæ erunt, quas ipsa quibusdam medicamentis basibus simillimis exercet. Neq; uellem in ea uos esse sententia illorum, qui unam tantum esse basim Theriacales nempè pastillos existimarunt, siquidem teste Galeno tribus affectibus æqua lance auxiliatur, nimirum
1.de antid. 1. exitialibus potionibus, ferarum morsibus, & morbis ex mala uictus ratione concitatis; qui cum diuersi sint, non nisi plures, & diuersas bases exposcunt: insuper si Andromachus eodem Galeno teste nonnullis additis Mithridaticę cō positioni, quibusdam ademptis Theriacam composuit, haud exiguam partem carnium uiperæ, quibus mithridatium carebat, admiscens, & ob id Theriaca ad morsus uiperæ plus Mithridatio ualet, ad reliqua uerò omnia non modo quicquam illa plus non potest, sed in quibusdam etiam inferior, dempta uiperarum carne remanebunt adhuc aliæ bases, quæ aliis conferent morbis. Neq; possunt ad sese Auicennæ pla-
5. Canon. ca. de quanti. compositionis. citum, si recte intelligatur, contrahere, quandoquidem po steaquàm monstrauit exemplo in medicamentis, & præsertim Theriaca adesse basim, propè capitis calcem ex professò eam plures habere bases indicauit: quod & nos in fer-

mentata Theriaca basim unam esse ex forma illa communi acquisita, plures uerò ex partialibus medicamentis superius determinauimus. Sequentes itaq; uos Auicennam, conformes quoq; autoris sententiæ, qui Theriacam composuit, bases ipsius reperiatis, quæ tres sunt tribus à Galeno etiam propositis affectibus inseruientes, trochiscos nempè tres, scillinos, uiperinos, & Hedychroi: scillini quidem pastilli omnibus uenenatis morsibus & uenenis opitulantur, Theriacales uerò & his presertim morsibus, qui à Viperis efficiuntur: Hedycroi uerò morbis ex mala uictus ratione, cætera uerò medicamenta adiecta sunt, ut his basibus famulentur: Actionem autem in primis quoad qualitatem adiuuant piperum genera, quæ serpentium morsibus prosunt, tormina discutiunt, concoctionem adiuuant, humores prauos ammouent, & abstergunt; In quem usum addita sunt & alia huiusmodi medicamenta, quæ & tenui, & calida substantia quantitati etiam actionum opitulantur. Quòd uerò tutò, facile, ac absq; ullo detrimento actiones prædictæ consequantur, ex medicamentis his habetis, quæ hunc usum impertiunt, opio nempè, rosis, succo glycyrrizæ, myrrha, rubrica lemnia, hypocystide, & similibus: unitam quinetiam facultatem communem totius antidoti detinent, & omniū aliorum actiones retardant, quæ supradicta sunt pharmaca, cum & crassarum sint partium: grata uerò redditur & odore fragans, seu potius non adeo horrida antidotus, dum cum melle, & uino dulci, & odorato miscetur: quæ itidem duo mel & uinum medicamenti acrorem remittunt, & ipsum incolume seruant: ut palàm esse posit omnia basibus aliquid utilitatis subministrare: circa quæ diutius immorarer, nisi ea à nobis ex hoc & prædictis exemplis monstrata sufficere existimarem: cui etiam finem imponemus, si postremum quod à uobis tenendum est, ex dictis habeatis, metam nimirum seu dosim non solum huiusce antidoti, sed & aliarum omnium compositionum, quas trutinandas uobis proponetis: id uerò nullo negotio assequemini, si medicamentum propositum ad talem, aut talem ordinem ascendere

reperietis : cùm uerò Antidotum parumper secundum gradum ad calidum ascendere repertum sit, in siccitate uerô magis adhuc tertium attingere, dosis quoq; eius à drachma ad drachmam unam cum dimidia, & quandoq; ad duas accedet, quoniam etsi ratione caliditatis maior dosis præberi posŝit, non tamen ratione siccitatis, & specificæ eius formæ ex fermentatione contractæ : Qua etiam dosi usi sunt Galeno uetustiores, atq; ipsemet Gal. si recte intelligatur, nam etsi asserat Antoninum Imperatorem sanitatis tempore singulis diebus ex ea, quantum est ęgyptiæ fabæ magnitudo, appræhendisse, ut seipsum à ueneno tutum præstaret, erat autē hæc quātitas, si quæ ab autoribus de eius mole scribuntur, recte habeātur oboli, seu scrupuli magnitudo, ueruntamen aliàs in periodicis morbis eā uariandā esse quantitatē docet, interdum quidem ad fabę ægyptiacæ magnitudinem, cum duobus aquæ cyathis, ubi exiguum ad concoctionem ipsius interuallum erit, interim uerò auellanę nucis magnitudine, quæ dosis est ad drachmam usq; cum dimidia: Quod si quis obstinate obiiciat librum illum de Theriaca ad Pisonem suspectum esse, cum cor sanguinem suscipiens toti reliquum, ut iam nutrire posŝit, corpori transmittere statuat, quod quidem Aristotelis potius, quàm Hippocratis, & ipsius met Galeni placitum sit, multaq; ibidem reperiantur, quæ Galeni non sapiant doctrinam, huic quidem non resistimus, sed ex legitimis ipsius libris sententiam nostram corroboramus, principio nanq; libri de antidotis aliam esse dosim antidoti, quando quis sese à morsu, ueneno, & huiusmodi affectibus conseruare, præseruareq; intendit, alia uerò quando morbo correptus est, apertissime scribit his uerbis : Neutra tamen (de Theriaca enim & Mithridatio lóquitur) eam uim habet post uenenum assumptum, quam ante sumpta habuisset, nā portio antidoti, quæ prius, & semel hausta, tutum à morte quempiam pręstitisset, eam uenenum subsequuta, nisi ad quadruplum, quincuplúuè aucta, non iuuabit; neq; id semel tantum, sed bis, singulis quibusq; diebus hausta faciet : si igitur asserit Galenus necessariam esse ad quadruplum, quincuplúuè

lib. de Theriaca ad Pisonem. cap. 15.

medicamenti dosim, hæc utiq; esse non potest,nisi ad drachmam unam & semis ascendat, sunt & enim quinq; oboli, ut superius diximus, qui ægyptiacæ fabæ pondere insigniuntur, quasi quinq; scrupulos dicas, qui drachmam & semis excedunt: Mithridates nanq; Rex,& Antoninus Imperator obolum ex ea sanitatis tempore non transgrediebantur.

De dosi medicamentorum soluentium secundum eorum gradus. Cap. Vigesimum octauum.

NOn erit autem difficile ex dictis dosim etiam certam in medicamentis tum simplicibus,tum compositis soluentibus demonstrare;si prius, quę à nobis superius de gradibus secundarum etiam & tertiarum facultatum dicta sunt memoria repetantur, hæ namq; et ipsę quatuor gradus,& mansiones graduum habent,non nisi uerò ab exercitatissimo medico cognitæ, inter quas uis ea euacuatoria,seu purgatoria collocatur: sunt autē ex his quædam,quæ parùm admodum soluunt,atq; fermè obscure,alia quæ manifeste satis,non nulla uerò quæ ualide, alia uerò quæ supra modum euacuāt, ut ex his iuxta Galeni regulam non nisi quatuor adesse gradus dicendum sit: quæ temperatis proximè accedunt,ut facillime etiam in alimenta conuertantur, emolliendi, leniendiq; aluum uim obtinēt,deterguntq; nonnulla,ac farctu liberant, qualia sunt malua,atriplex,blitum,absynthium, eupatorium, fumaria, serum lactis, stæcas, Violæ, mucilago psilii, medulla casiæ fistulę, & similia ex simplicibus, syrupus uerò rosaceus solutiuus,uiolaceus solutiuus, ius Galli,decoctio senæ,ex epithimo,decoctio fructuum, electuarium lenitiuū, diacasia,& huiusmodi alia ex compositis. Quæ uerò à praedictis recedunt,& manifestè satispurgant,ex simplicibus sūt polypodium,carthamus,seu cnici semina, lapis cyaneus, quem lazulum uocant, sena, iridis succus, & similia,inter compo

sita uerò Diasena, Diacatolicon, Diasebesten, Diarob cum Turbith, & his respondentia ab autoribus descripta. In Tertio uerò ordine reponuntur Nigrum ueratruũ, Peplion Hippocratis, Genistę flores tantopere à nostris mulieribus usitati, Turbith, Agaricus, Sarcocola, Serapinum, Opoponax, Rhabarbarum, Hermodactilus, & id genus, ex compositis uerò Diaphenicon, Ellectuarium rosatum Mesues, Ellectuarium de succo rosarum, confectio hamech, & similia. At in quarto sunt ordine Colocynthis, Scamonium, Elacterium, Antimonium præparatum, Euphorbium, Dend Auic. (est enim granum quoddam paruum ueluti faseoli, quod extreme purgat, ut ego sæpius expertus sum,) & alia istiusmodi, & ex compositis Trochisci ex euphorbio, pillulæ ex Serapino, pillulę arteticæ, de opopanace, & alia id genus: In quorum etiam singulo gradu mansiones tres dantur perinde, atq; in alterantibus medicamentis, ut quę minus euacuent, primam obtineant mansionem, quæ magis, in tertia sint mansione, sicut quæ medio quodam se habent modo, mediam & secundam habeant mansionem, serum namq; lactis, quod in primo est gradu, cum exiguè admodum euacuet, atq; nonnisi copia insigni primam eius gradus mansionem occupat, syrupus uerò rosaceus solutiuus in secunda est eiusdem mansione, quoniam & minori quantitate ex eo ad euacuandum opus est, ellectuarium uerò lenitiuum in tertia mansione, quippè cum ad secundum magis accedat, & minori adhuc copia pro euacuandis fæcibus, ac molliendo uentre indigeamus. Quod itidem de aliis gradibus dicendum est, in quibus tres has mansiones reperiri licet His sic constitutis facile poteritis ex obseruantia, & experientia comprehendere, qua nam dosi singula hæc medicamenta tùm ex se, tùm in compositione ægrorantibus offerri queant: si enim medicamentum sit soluens in quarto gradu, ut est Scamonium, elacterium, & id tale genus, potestis utiq; ex dictis grana quatuor exhibere ad scrupulum usq; ascendentes, neq; ulterius progredi: Quæ uerò præfinita intra hanc latitudinem sit exhibenda, habebitis ex tribus ægrotantis, natura, atq; temperie, humorum

euacuandorum quantitate ac ſitu: ut enim in alterantibus medicamentis ex Auic. duo ſunt obſeruanda ægrotantis natura, & receſſus prӕter naturã à naturali ſtatu, ſitnè recens, an inueteratus cum aliis, quæ his duobus adnectuntur, ſic & in medicamentis ſoluentibus ad prædicta tria reſpicere debetis, quæ certam eorum metam indicabunt, ӕgrotantis nimirum naturam, quæ ex quatuor prædictis conſtat temperie, ſitu partium, conformatione, ac facultate, humorum præterea quantitatem, & eorundem ſitum, ualde enim refert an in ſuperficie corporis, ac in profundo ſint, connectentes etiam his ægrotantis ætatem, conſuetudinem, artem, uires, & totius corporis habitum, quæ & ipſa aut conſentiunt, aut prohibent tantam eſſe medicamenti quantitatem porrigendam. Quòd ſi medicamentum ſit in tertio gradu ſoluens, quale eſt Nigrũ Veratrũ, Turbith & prӕdicta enarrata à ſcrupulo ad ʒ. ij. aſcendetis, neq; ultra, ſed potius quandoq; ad hanc, illãuè partem declinabitis, pro ut opus erit ſumptis ex ꝑdictis indicationibus propriis, coindicationibus & cõtraindicationibus. At ſi medicamentũ euacuatoriũ in ſecundo ſit ordine, ut quando adminiſtrandũ eſt polypodiũ, carthamum, ſena, & ſimilia, à ʒ. 2. ad unciam peruenire poteſtis eadem adhibita cura, & diligentia, ut præfinitam intra hác latitudinem doſim ſeligatis. Poſtremò ſi gradus primus ſit in medicamentis euacuantibus, quæ ægrotantibus porrigere exoptatis, qualis eſt ſyrupus roſaceus ſolutiuũs, uel mel roſaceum ſolutiuum inter compoſita, caſſia, uel manna ex ſimplicibus medicamentis, hæc utiq; ab uncia ad uncias ſex & ultra propinare poteſtis animaduertentes etiam oſcitanter, quædam ex his magis ad ſecundi ordinis temperiem accedere, nonnulla uerò magis ad cibariorum naturam declinare: Quo quidem caſu ſi medicamenta ſint ad cibaria magis uergentia, ultra etiam prædictos limites præter eundum eſt, & maiori utendum doſi, neq; parum excedenti, ſed quàm maximè, non ſic uerò quando medicamenta ad ſecundum gradum accedunt, quinimmo quanto ea ualentius euacuabunt, tanto etiam ex moderata doſi aliquid ſubtrahendum erit.

4. primi c. primo

Vnde ius Galli,& aqua lactis nō solum ad uncias sex exhibentur,sed & ad libras duas,tres,& quatuor ob exilem illorum purgationem : At ellectuarium lenitiuum, Diacassia,& alia istiusmodi non nisi ad unciam & semis, & quandoq; in ualde robustioribus corporibus ad duas usq; uncias : Syrupus uero rosaceus solutiuus,& mel rosaceum solutiuum,dū assumuntur,ad uncias quinq; exhibentur, si non admodum uetusta sint,aut paulo maiori dosi,atq; præsertim in ualidioribus corporibus : at syrupus uiolaceus solutiuus etiam recens ad sex etiam uncias,& plus administrari potest,si quidem uiolę minus uentrem soluunt,quàm rosarum succus.

Exercitium in reperienda dosi medicamentorum euacuantium tum in forma electuarii,tum pillularum,tum potionis. Cap. Vigesimumnonum.

SVperest autem,ut eodem exercitio, quo in alterantibus medicamentis usi sumus,uobis ostendamus,quonam pactò ex uobis ipsis soluentia medicamenta sint componenda: Verum cum medico iuniori tutius sit his,quæ ab aliis composita,& experimento comprobata sunt, uti ; neq; enim cupio uos sub quodam secretorum prætextu popularem aurā

5. de affectare, scribebat nanq; Galenus,quæ ex consentiente expe
compo. rimento diiudicata sunt,ea stabiliora esse,ac firmiora : atq;
med. P ob id semper in usu medicamenti experientiam,qua illa ro
loc. c. 5. borata sunt,pro norma habendam esse consulebat ; primū
6. de in ueterum medicamentis uos exercebo,mox uerò ex metho
tuend. do nostra,cum prouectiores eritis,alia consimilia compara
ual. cap. re poteritis.Cæterum quoniam medicamenta soluentia tri-
14. plici sub forma,pillulari, seu catapotiorum, ellectuarii, seu Eclematis, & potionis exhibentur , nos quidem in singulo ex dictis discurremus monstrantes uiam, qua & medicamenta basim constituentia, quæq; usum eis impertiunt,ex uobis

eriam

etiam ipsis reperiatis: insuper quis nam ex prædictis euacuã tibus facultatibus gradus resiliat representabimus,ut hoc habito statim sese offerat dosis, quæ tuta & commodè in affectis corporibus administretur: exordiamur autem ab electuariorum exercitio, deinceps ad alia transibimus, hoc prius animaduerso, quòd in medicamentis, quę in tertio, & quarto gradu soluunt, basis reliqua non excedit quantitate medicamenta, quæ ei auxiliantur, quemadmodum, et in alterantibus, quæ facultates ualidissimas habent, nam licet hoc asserendum sit in his, quæ primum & secundum non excedunt gradum, in dictis tamen postremis gradibus id minime fieri potest: huius autẽ rei ratio est, propterea quòd quo magis medicamenta ualidiora sunt ui, eò magis naturæ nostræ sunt aduersaria, ac proinde in compositis minori dosi sunt imponenda,& ægrotantibus offerenda, contrà uerò quo mitiora sunt, eò etiam nobis,& calori nostro familiaria, ut maiorem copiam ex his subministrare concessum sit. Accipiatis itaq; Hieram Picram pro exemplari tantopere à Galeno decantatam; & licet hoc nomine complures etiam alię compositiones donaræ sint: Vnde Scribonius Largus Hieram diacolocynthidos picram etiam nominat, ueruntamen non Hiera Picra simplex, ut hæc, nuncupatur: Recipit autem Aloes ℥.c. & cinnamomi, xilobalsami, assari, spicæ nardi, croci, & mastiches singulorum drachmas sex. Basis huiusce medicamenti est Aloes, atq; in maiori copia, propterea quòd aloes inter medicamenta euacuantia secundi ordinis recluditur, huic uerò auxiliantur sex alia medicamenta, eius namq, actionem uigorosam reddunt, nocumentum (si quid reperitur) tollunt, actionem accelerant,& gratius medicamentum conficiunt: Atq; ob id nulli mirum essedebet,si Galenus ex ea compositione ad duo usq; coclearia magna (quæ est dosis ℥. vi. & scru. ij.) subministrat, est enim magnum cocleare, ut nonnulli uolunt, pondus ℥. iij. cum scru. 1. hac autem dosi moderate soluit, cum in compositione uix etiam secundum gradum

7.de meth. med. Cap. ii.

attingat. Sed si uultis aliud ualentius medicamentum eliciatis Electuarium rosatum Mesues, quod recipit succi rosarum rubearum L. iiij. Saccari optimi. L. 1.5. Mannę electæ Onc. vi. Scamonij Onc. 1.5. coquantur sensim ad ignem molliusculũ, dum ad mellis consistentiam usq; densescant, deinde insperge Trochiscorum de berberis ʒ. iiij. Trochiscorum de spodio Onc. 1. Galliæ muschatæ, croci an. ʒ. ij. reponatur in uase uitreo. Basis huius medicamenti non est manna, neq; succus rosarum, quæ in maiori sunt copia, sed scamonium in quarto gradu à nobis repositum, cum bilem flauam ualidissime uacuet, at manna, & succus rosarum ab autore adiecta sunt, ut actionem Scamonij imminuãt, leniãt, atq; retardent, siue succum rosarum calidum, remisse tamen cum Mesue statuamus, siue cum Galeno inter refrigerantia cum remisso tepore: cum uerò basis calidissima sit, ne aliquam noxam exinde corpus affectum suscipiat, impositi sunt trochisci de spodio, & de berberis, ex his namq; scamonij fer uor castigatur, cordiq; & præcipuis membris auxiliatur, quod itidem præstat Gallia Muscata, & crocum, quibus uiscera illa tuta redduntur. Vt uerò compositio grata etiam fiat gustui, aut minus saltim ingrata, autor ille & saccarum, & mannam adiecit. Neq; uelim uos his cõtentos esse, nisi prius totius medicamenti purgatorij quoad facultatem illam tertiam, temperiem habeatis, quandoquidem ex ea nullo negotio dosis etiam ægro propinanda representabitur: Atqui cũ in hoc medicamento ex ingredientibus omnibus septuaginta quatuor sint unciæ excepto Scamonio, ex eo uerò uncia & semis, si rectè eius anatomen efficiemus in unaquaq; medicamenti uncia drachmam semis Scamonij fermè reperiemus, quæ quidem dosis triginta granorum est; at cum Scamonij dosis seorsum sumpta, nonnisi sit Scrupulus, qui uiginti granorum est, perfecta utiq; huiusce compositionis quantitas ad ʒ vi. ascendet, quam quidem præterire nonnisi sine periculo licebit, nisi æger sit ualidissimus. Quæ de catapotiis, & Electuarijs hucusq; dicta sunt, eadem esse possunt

10. meth. Cap. 9. 3. de. 5. medicina c. 9.

pro monstranda temperie,& dosi in medicamentis etiam hisce, quæ potione assumuntur: Si enim in potione primi dun taxat, uel secundi ordinis euacuantia ingrediuntur, seruanda est dosis, quæ in simplicibus medicamentis est assignata, cum etenim succus rosarum primi sit ordinis soluens cum saccaro confectus, ex qua cõpositione Syrupus fit rosaceus solutiuus, audacter ex eo ad Onc.iiij.& ultra est exhibendus, at si medicamentum quid in tertio, & quarto subingrediatur,pro ut magis,aut minus ad unum, uel ad alium gradum tendet, tanto aut magis,aut minus ex eo porrigendum erit: Neq; exemplis potionum ualidarum, quę in promptu apud pharmacopolas sunt, hoc uobis ostendam, quandoquidem hæ paratæ minime seruantur, sed in ægrotantium gratiam, qui neq; electuaria, neq; pillulas possunt assumere, in dies conficiuntur. Hęc autem uobis sufficient pro exercitio methodi, quam distinctissimè absoluimus: cui quidem exercitio si quid addendum uidetur, illud est, ut tabellam omniũ alterantium,& soluentium secundum proprios gradus habeatis, hac enim cum gradus omnes intellexeritis, facilime quoq; & compositorum omnium temperiem, & dosim tenebitis,& ex uobis etiam ipsis tractu temporis compositiones non minus artificiosas, quàm utiles comparabitis.

Excusatio Autoris.

OPeri itaq; nostro ad Dei optimi laudem, & gloriam, uestrumq́; omnium utilitatem finem imponemus, si prius me à crimine expurgatum reddidero,quòd liuoris, aut iactantiæ, aut gloriæ captandæ gratia in hoc, aliisq́; meis operibus in aliorum sententias irruerim, cum enim hominis ingenui, ac literarum amatoris sit suam de quaq; proposita difficultate sententiam in medium afferre, quæ uerò ab alijs dicta sunt, si falsa, aut ueritati disona ui-

dentur, modestissime reprehendere; hoc namq; modo ante nos processit Hippo. Plato, Aristoteles, Galenus, & innumeri celebres tùm ex antiquis, tùm ex iunioribus scriptores, quis uitio dare potest, quòd si mihi aliorum sententiæ non arrident, eas renuerim, & rationibus clementer conuincere tentarim? Fuit certè hic uerus scribendi modus tantopere à nostris præcessoribus comprobatus, sicut detestandus alter eorum, qui obiurgijs, & conuitijs proprias sentētias conuincere contendunt, nam cum inepti sint ad respondendum, aut ueris responsionibus careant, ad conuitia confugiunt, quędam etiam lęuia satis in aduersariorum scriptis obiurgantes, ut aliquid se respondisse uideantur, cum miseri nesciunt, neq; conuitia, neq; obiurgia literatorum hominum ueras esse defensiones, ac arma, neq; minus apud optimos logicos instantijs, petitionibus, & redargutionibus oppugnari posse; conuitia quidem mulierum propria sunt, & uulgi arma; obiurgationes, & rixæ Gladiatorum; redargutiones uerò Sophistarum: quibus nequaquam est oppugnandum ab homine ingenuo, nam si conuitium conuitio compenscas, quemnàm honorem & gloriam relaturus es? si obiurgia & rixas similibus oppugnare contendas nonnè & gladiator, & rixosus diiudicaberis? quòd si more sophistarum eos redarguas, & interroges, nonnè & tu Sophista eris? conatus quipem semper fui (sic dii me adiuuent) per triginta, & ultra annos candido animo medicinam locuplectari, & in candidatorum medicinæ gratiam non solum Patris opera à me exculta, & completa, sed & multa ex me deprompta publica facere: contigit autem ut aliorum placita rationibus blandè satis confutauerim, quod & alijs euenisse comperimus, si ueræ nostræ sententiæ sunt, studiosi homines nobis gratias habere debent, quòd literatorum studia adaugeamus, & gratum eis opus efficiamus: at si hę ueræ non sunt, non ęgre certè ferimus, neq; irascimur, quòd alij eas confutent, & alias me-

flores reperiant. Quod uitio damus, & maxime indignamur., id quidem est, quòd filaterijs, obiurgijs, conuitijs, & leuiusculis rationibus oppugnetur. Atqui non expectent è me scioli, uulgaresq; hi homines, qui hoc scribendi modo delectantur, responsionem ullam; uerùm siquis uir erit ingenuus, morigeratus, & doctus, qui mecum in literaria palestra modestia philosophica congredi cupiat, huic libentissime assẽtiar, ipsũ alacri animo amplectar, & cum eo ueritatis indagãdæ gratia disseram, ex hoc enim certamine futurum esse sperabo, ut ueritas disputandorũ dilucidior appareat, deoq; optimo & maximo honor & gloria attribuãtur.

FINIS.

Tabula omnium tum simplicium, tum copositorum medicamentorum, quæ in usu habentur.

Medicamentorũ quæ apud Medicos in facienda medicina, & pharmacopolas in usu sunt, alia

- Simplicia, nullaq; arte composita aut
  - Radices, quarum quædam
    - Integræ seruantur.
    - Decorticatæ administrãtur.
    - Colliguntur autem cum planta folia amittere incipit, tunc.n.cõ coctæ sunt, & humido sup̃fluo orbatæ.
  - Stipites, & folia, atq; hæc bifariã colligun tur, aut
    - Cum seminibus aut floribus, aut utrisq;.
      - Quando succum exoptamus colligũt, priusq̃ flores producant, qñ uerò non, posteaq̃ emiserint flores, & fructus.
    - Sine seminibus aut aliquo ex dictis.
  - Flores & semina:
    - Colliguntur quando exacte matura sunt, non tamen superfluc.
  - Resinæ.
  - Succi qui duplices sunt.
    - Condensati.
    - liquidi.
  - Partes animalium.
  - Mineralia.
- Composita arte.

Composita arte ut sunt.
- Electuaria.
- Loch:
- Aromata.
- Decocta.
- Syrupi.
- Trochisci.
- Pillulæ.
- Conseruæ.
- Si e f.
- Pulueres.
- Vnguenta.
- Olea.
- Soluentia.
  - Simplicia.
  - Composita.

De quibusq; uerò eorũ singillatim agemus, atq; inprimis de simplicibus medicamentis eo, quo statuimus ordine, ut perfecta omnium habeatur & temperies, & dosis: Speramus enim hoc uobis maxime esse utilitatis: incipiemus autem à radicibus.

RADICES INTEGRÆ.

Calidæ & Siccæ

	Acori.	3	3		Althææ	1	1
	Aristolochiæ	3	3		Asparagi	1	1
	Asphodelli	3	3		Apii hortens.	2	2
	Assari	3	3		Palustris	2	3
	Centaurii ma.	3	3		Aspallathi	1	3
	Cœparum	4	4	propè	Bulbi	1	1
	Costi	3	3		Caparorum	2	2
	Cyperi	2	2		Celidoniæ	3	3
	Cameleontis	4	4	propè.	Ebuli	3	3
	Ciclaminis	3	3		Esulę	4	4 propè
	Hermodactilorũ	3	3	cõplet.	Eritrodani	2	2
.1.Po	Filiculæ	3	2		Eryngii	2	2
lipo-	Zingiberis	3	2		Fæniculi	3	2
dii.	Galangæ	3	3		Gentianæ	3	2
	Gladioli	3	2		Harundinis	1	1
	Iridis	2	3		Helenii	3	2
	Nardi	1	2		Helebori	3	3
	Peonię	2	2		Iberidis	3	3
	Piretri	3	3		Laparhi	3	3
	Poligonati	2	2		Phu	3	3
	Rhabarbari	1	2		Mei	2	2
	Raphani	2	2		Petroselini	3	2
	Sarzæ perigliæ	.	.	.	Titimali	4	4
	Satyrij	2	2		Saxiphragiæ	2	2
	Scyllę	3	3		Thapsię	3	3
Speci	Tormentillæ	1	3		Turbith	3	3
es est	Serpentariæ	3	3		Pastinacę	3	3
Penta.					Peplios	3	3
phylli							

RADICES DECORTICATÆ

	Calidę	Siccę
Aristolochiæ rot.	3	2
Clematitis	3	2

RADICES INTEGRÆ.

	Calidę	humidæ
Aconiti	4	4
Glycyrrizę	1	1
Liliorum	1	1

RADI-

RADICES DECORTICATÆ

	Calidæ	humidæ
Boraginis	1	1
Buglossæ	1	1
Symphiti	1	1

RADICES DECORTICATÆ

	Frig.	Siccæ
Anchusarum	1	2
Cynoglossi	1	2
Intybi	2	2
Mandragoræ	3	1

RADICES INTEGRÆ

	Frigidæ	humidæ
Cucurbitę Syl.	2	2
Hyosciami	4	4
Nympheæ	2	2
Stratiotis	1	1

RADICES DECORTICATÆ

	Frigidæ	humidæ
Syderitis	1	1

STIPITES, ET FOLIA
cum floribus & seminibus.

	Calida	Sicca
Absynthij	2	3
Chamepythios	2	3
Amaraci	3	2
Anagalidos	2	2
Apiastri	2	2
Apij hortensis	2	3
Artemisiæ	2	1
Betonicæ	1	2
Botryos	2	2
Calamenti	3	3
Cardi	2	3
Cētaurij minoris	3	3
Fumariæ	1	1
Celidoniæ	4	4 ppè
Carpesii	3	3
Feniculi	3	2
Hysopi	3	3
Hiberidis	3	3
Mari	3	3
Marrubij	2	3
Nasturtij	3	3
Ocymi	3	3
Origani	3	3
Polij	2	3
Parthemii	2	3
Pulegii	3	3
Restæ bouis	3	3
Santonici	3	3
Satureiæ	2	2
Scordii	3	3
Senecii	1	1
Serpilli	3	3
Sisymbrij	2	2
Squinanthi	2	2
Tamarisci	2	2
Thimi	3	3
Trissaginis	3	3

STIPITES, ET FOLIA
sine seminibus, & foliis.

	calida	ſicca
Abrotani	2	2
Abſynthii	2	3
Betæ	1	1
Braſſicæ	1	1
Braſſicæ marinę	1	1
Graminis	1	1
Lapathi	3	3
Parietariæ	3	3
Roriſmarini	2	2
Rutæ	3	3
Sabinæ	1	2
Scabioſæ	2	2
Senæ	2	2
Soldanellę	2	2
Verbenacæ	2	2
Virgę aureę	1	3

STIPITES ET FOLIA
cum ſeminib.& florib.

	calida	humida
Bugloſſæ	1	1
Boraginis	1	1
Lyſimachiæ	1	1
Mercurialis	2	2

STIPITES ET FOLIA
ſine ſeminib. & florib.

	calida	humida
Hyppogloſſi	1	1
Citrach	1	1
Adianthi	1	1
Argemonis	1	1
Agrimoniæ	1	1
Aſplenii	1	1
Farfaræ	1	1
Braſſicæ ſupꝑficie	1	1

STIPITES ET FOLIA
cũ ſeminib. & floribus.

	frigida	ſicca
Intybi	2	2
Endiuiæ	1	1
Seridis	1	1

STIPITES ET FOLIA
ſine ſeminib. & florib.

	Frigida	ſicca.
Semperuiui	3	1
Hepaticæ	1	1
Rubi ſumitatum	2	2
Virgæ paſtoris	2	2

STIPITES ET FOLIA
cũ ſeminib. & floribus

	Frigida	humida.
Hyoſciami	4	4 ꝑpè
Mille folii	1	1
Papaueris	4	3

STIPITES ET FOLIA
ſine ſeminib. & florib.

	frigida	humida
Cicerbitæ	2	1
Lactucæ	2	2
Portulacæ	3	3

Solani	4	4

FLORVM QVI IN VSV sunt, postea quàm è caulib. prodierint, alii sũt

	calidi	sicci
Altheæ	1	1
Anethi	3	3
Camomillæ	1	1
Betonicæ	2	2
Crisocomis.	2	2
Tanaceti	2	2
Croci	2	1
Epithimi	3	3
Fumiterræ	1	2
Hiperici	2	2
Iridis	3	3
Lambrusiæ	1	3
Lysimachiæ	1	1
Mellilotti	1	1
Origani	3	3
Rorismarini	2	2
Saluię	1	2
Sambuci	2	2
Scordij	3	3

	calidi	humidi
Anemones	1	1
Buglossæ	1	1
Boraginis	1	1
Lambrusce	1	1
Lilii	1	1
Maluæ	1	1

	Frigidi	Sicci.
Balaustiarum	1	2
Citinorum	1	2
Hypocystidos	1	3
Lygustri	1	2
Papaueris	3	3
Rosarum	1	2
Seredis	1	1
Tasfi Barbassi	2	2

	frigidi	humidi
Millefolij	1	1
Nympheæ	2	2
Violarum	1	2

FRVCTVVM ET seminum alia

	calida	sicca
Anacardi	3	3
Agni casti	3	3
Anisorum	3	3
Ameos	3	3
Amomi	2	2
Apij hortens.	1	2
Apij Palust.	2	2
Basilici	1	2
Napi	2	2
Brusci	1	1
Capparorum	2	2
Caricum	3	2
Cassiæ ligneæ	3	3
Cinnamomi	3	3
Citri Sem.	2	2
Cupressi	2	2
Cocognidii	2	2
Colocynthidos	4	4
Cubebarum	3	3

Canapis	3	3
Carui	3	2
Sisami	2	2
Cnici	2	3
Cimini	3	3
Dauci	3	3
Erucæ	3	3
Erui	2	2
Fæniculi	2	2
Fænugreci	1	2
Garyophillorum	3	3
Glandis	1	1
Horminii	2	c
Iuniperi	2	2
Hyperici	1	2
Lauri	2	2
Lolii	2	2
Lini	2	1
Nigellæ	3	3
Nucis	1	2
Nucis muscatæ	2	2
Nucis metelle	2	z
Nucis indicę	2	2
Nasturtij	4	4
Piperis	3	3
Pęoniæ	2	2
Pastinacæ	2	2
Petroselini	2	2
Raphani	2	2
Rutæ	3	3
Senæ	2	2
Staphisagriæ	4	4 ppè
Seseleos	3	3
Sinapis	4	4
Tlaspeos	3	3
Santonici	3	3

Tordyli	3	3
Vrticæ	3	3
	calida	humida
Amigd. dul.	1	1
Altheæ	1	1
Asparagi	1	1
Castanearum	1	1
Dactilorum	1	1
Lythospermatis	1	1
Myrobalani	2	2
Pinearum	1	1
Fisticorum	1	1
Sebesten	1	1
Vuarum	1	1
	Frigida	sicca
Alkachengi	2	2
Auellanæ	1	2
Acetosæ	2	2
Berberi	2	2
Cornicis	2	2
Citoniorum	2	2
Coriandri	1	1
Gallæ	2	2
Hordei	1	1
Intybi	2	2
Ligustri	1	1
Lupinorum	1	2
Mali punici	1	1
Myrobalanorum	1	2
Myrthorum	1	2
Nespilorum	1	2
Oliuarum	1	2
Rosarum	1	2
Rhoi	2	3

Sorbarum	1	2
Scariolę	1	2
Seridis	1	2
Tamarindorum	1	2

Frigida humida

Angurię	2	2
Atriplicis	1	2
Cucumeris	2	2
Cucum. Syl.	2	3
Cucurbitæ	2	2
Hyoſciami	4	4
Lactucæ	2	2
Malueę	1	2
Mali	1	1
Papaueris	4	4
Plantaginis	2	2
Pſilij	2	2

RESINÆ VSVALES.

Abietina cal.ſic.2.
Cypresſina cal.ſic.2.
Laricina.cal.ſic.2.
Picea.cal.ſic.2.
Pinea.cal.ſic.2.
Pix.cal.2.ſic.2.
Strobilina.cal.ſic.2.
Fricta.cal.ſic.2.
Terebenthina.cal.ſic.2.
Lentiſcina.cal.ſic.2.

Nota ex Gal.6. de ſimpl.medi.cap.78. omnes deſiccare, & calefacere,ſed ſecũdum magis,& minus differre in acredine,caliditate,& adſtritione; prima eſt ſecundum adſtrictionem maſtix, ſecunda terebenthina,tertia pinea, poſtea picea,abietina, cypariſſima,& ſic deinceps.

GVMI QVAE APVD nos uſui ſunt.

Aſſa fœtida.cal.4.ſic.3.
Belzuinum.cal.3.ſic.3.
Bdelium.cal.2.hum.1.
Cedria.cal.3.ſic.3.
Charabs.cal.3.ſic.3.propè.4.
Elemi.cal.ſic 3. propè.
Galbanum.cal.3.ſic.3.
Gummi arabicum.cal.2.ſic.2
Gũmi dragachãti.fri.2. hu.1.
Myrrha.cal.2.ſic.2.
Opopanacum.cal.3.ſic.2.
Sagapenum.cal. 3.ſic.3.
Sandarax.cal.4.ſic.4.
Styrax. cal.1.ſic.2.
Thus cal.2.ſic.1.
Opium. frig.4.ſic.3.
Opobalſamum.cal.2.ſic.2.

SVCCI CONDENSATI, qui ſuæ plantæ,uel herbæ temperiem inſequũtur, de quibus ſupra:

Agrimoniæ.
Acetoſæ.
Acatiæ.

Absynthii
Aloes.
Betonicæ.
Cichorii.
Endiuiæ.
Eupatorii.
Elacterii
Fumiterræ
Hypocistidos.
Laudani.
Glycyrrizę.
Melissæ.
Meconium, siue succus papaueris.
Plātaginis.
Sonchi.
Solatri.
Scamonii
Cirenaicus dictus.

DE SVCCIS LIQVIDIS, qui pariter eiusdem sunt temperiei, ut & plantæ & herbæ, de quibus supra.

Acetosæ.
Absynthii.
Agrimoniæ
Anagalidis.
Apii palustris.
Betonicæ.
Buglossi.
Boraginis.
Cichorii.
Citoniorū.
Citreus.

Endiuiæ.
Fumiterrę.
Fæniculi.
Farfaræ.
Lupuli.
Iuæ.
Myrthi.
Epaticæ.
Rosarum.
Plātaginis.
Malorum dulcium.
Granarorum.
Sonchi.
Mororum.

PARTES ANIMALIVM quę in medicina usui sunt.

Cerebrum { Leporis / Saurarum.
Pili, usti.
Craneum humanum precipuè
Os combustum.
Vngues diuersorū animaliū.
Dentes canini.
Pulmo Vulpis, & quorundam aliorum animalium.
Hepar aliquorum animaliū
Sanguis Anatis & aliorum.
Fœl bouis & quorundam.
Interiora lupi.
Coagulum ædi, & aliorum.
Pinguedo multorū animaliū.
Pellis ouina.
Caro castratorum.

Vrina multorum animaliũ.
Excrementum multorum.
Medulla animalium.
Chylus multorum.
Lana ouium
Testes gallinacei, & aliorum.
Lac ouis, capræ, & aliorum.
Serum lactis multorum animalium.

DE MINERALIBVS

Spuma argenti: uulgò lytargirium: frig. sic. 2.
Cerusa. frig. sic. 2.
Cadmia: cal. leuiter: sic. 2.
Pompholy: frig. sic. 2.
Spodium frig. 2. sic. 3.
Argentum uiuum. cal. hum. quarto secundum Dios. sed secundum alios frig. hum. 4.
Antispodium: frig. 2. sic. 3.
Æs ustum: cal. 3. sic. 4.
Flos æris. cal. 3. sic. 3.
Squama æris. cal. 3. sic. 3.
Stomoma. cal. sic. 3.
Ærugo rasa. cal. sic. 3. & 4.
Plumbum ustum: frig. hu. 4.
Stybi: Antimonium: frig. 2. sic. 3.
Chrysocola: cal. sic. ut sal.
Lapis armenus: cal. 2. sic. 2.
Lapis lazuli: cal. 2. sic. 3.
Endigus uulgò, indicus. Adstringit, purgat, refrigerat.
Cynaprium: Prodest, ut Hæmatites, ex Diosco.
Arsenicum uiuum: cal. sic. 4.
Minium: cal. sic. ualde.
Terra lemnia: frig. 1. sic. 2.
Calcitis: cal. sic. 3.
Misy. cal. sic. 3.
Sory. cal. sic. 3.
Diphriges: cal. 2. sic. 3.
Auripigmentum: Sandaraca: cal. sic 4.
Alumen: cal. sic. uersus. 3.
Sulphur: cal. sic. 3.
Pumex: frig. sic.
Sal: cal. sic. 3.
Nitrum: cal. sic. 3.
Salnitrum: cal. sic. 3.
Fæx uini: cal. parũ sic. ualde.
Calx: cal. sic. 4. ordine.
Gypsum: frig. sic. 4.
Cinis: cal. sic. ualde.
Alcionium: cal. sic. immoderate.
Corallus: frig. 1. sic. 2.
Margarita: frig. sic. 2.
Fragmentum: cal. sic. non ualde.
Lapis spongiæ: frig. sic. ualde.
Lapis pirites: frig. sic. uehementer.
Hæmatites: calefacit lenit: siccat, extenuat.
Fuligo: cal. sic. immoderate.

DE ELECTVARIIS.

Lenitiuum. sol. grad. 1.
Sebesten. sol. grad 1.
Diacatholicon. sol. grad. 1. ad secundum.
Diaphenicon. sol. grad. 3.
Rosatum Mesues. sol. grad. 2. ad 3.
De succo rosarum. sol. grad. 2. ad 3.
Hamech. sol. grad. 3.
Indum maius. sol. grad. 2. ad tertium.
Indum minus. sol. grad. 1. ad secundum.
Diaprunis nõ solutiuum. sol. grad. 1. ad secundum.
Diaprunis solutiuum sol. in gradu tertio.
De psilio. sol. grad. 1. ad secundum.
De benedicta. sol. grad. 2. ad tertium.
Diacurcuma. cal. 3 sic. 3.
Dialacha. cal. 3. sic 3.
Diacassia. sol. grad. 1. ad secundum.
Iera. 5. sol. grad. 1.
Iera compos. sol. grad. 2.
Iera Pachi. sol. grad. 3.
Ieralogodion. sol. grad. 3.
Iera diacolocynthidos. sol. grad. 2.
Triphera magna cal. sic. 2.
Letificans Almansoris.
Philoniũ Diuersę temperiei.
Requies Nicolai. frig. 3. sic. 2.
Theriaca. cal. 2. sic. 3.
Mithridatium. cal. 2. sic. 3.

DE LOCH, SIVE Eclegmate.

De Pino, incisiuum extenuatiuum.
Sanum & expertum. incis. extenuat.
De Pulmone uulpis. incis. exten.
De Caulibus: mollit. abstersiuum.

DE AROMATIBVS, siue confectionibus.

Aromaticum Rosatum. cal. sic moderate.
Diarrodon Abbatis. frig. sic. moderate.
Diagalanga. cal. sic. 3.
Diaciminum. cal. sic. 3.
Triasandalum. frig. sic. 2.
Diambra. cal. sic. 3.
Diamargariton Nicolai. frig. sic. 3.
Diacalamentum cal. sic. 3.
Diatrionpipereon cal. sic. 3.
Diaturbith. 5. sol. grad. 2.
Diaturbith cũ Rhab. sol. grad. 2

DE DECOCTIS Vsualibus.

Fructuum : moderate tẽper.
Pectoralium : mollient .
De Epithimo Mes: sol. melá : choliam.

DE SYRVPIS SIMPLICIbus, infusionibus, & con positis.

Iulep ros. frig. sic.
Violatum Iupep. frig. hum.
Infusio rosata simplex cal. sic.
Infusio solutiua cal. sicca.
Infusio uiolacea frig. hum.
Infusio uiolacea sol. frig. hu.
Syrupus rosatus recẽs fr. sic.
De Rosis siccis fri. sic.
Ieleniabim saccari frig. hu.
Mel rosatum cal. sic.
Rosatum solutiuum fri. sic.
Syrupus rosaceus solut. fr. sic.
Syrupus de endiuia fri. sic.
De cichorea. 5. frig. sic.
De cichorea cõpos. cal. sic.
De endiuia cõpos. frig. sic.
De fumoterrę cõp. cal. sic.
De fumoterræ simp. cal. sicca.
De lupulis frig. sic.
De succo acetosæ frig. sic.
Acetosus simplex. fri. sic.
Acetosus diarrodõ frig. sic.

De duabus radicibus cum aceto cal. sic.
De Bisantiis simp. cal. sic.
Cum aceto. cal. sic.
De Betonica cal. sic.
De Farfara cal hum.
Oximel. 5. cal. siccum:
Compositum. cal. sic.
Scilliticum. cal. sic.
De pomis. 5. cal. hum.
Compositum cal. hum.
De acetositate citri. fri. sic.
De eupatorio cal. sic.
De corticibus citri cal. sic.
Iuiubis cal. hum.
De capillis ueneris cal. sic.
De papauere frig. hum.
De menta cal. sic.
De absynthio cal. sic.
De Glycyrriza cal. hum.
De ysopo cal. sic.
De prasio cal. sic.
De calamento cal. sic.
De epithimo cal. sic.
De stęcados cal. sic.
De quĩq; radicibus cal. sic.
De artemisia cal. sic.
De myrrha frig. sic.
De Citoniis frig. sic.
De Buglossa cal. hum.
Diamoron frig. sic.
Rob. nucum cal. sic:
Syrupus de polipodio cal. sic.
De iunco frig. sic.
De scordeo cal. sic.

DE TROCHISCIS usualibus.

De Gallia muſcata Meſ. cal. ſic.
De Gallia muſcata Nicolai cal. ſic.
De Vipera cal. ſic.
De Scilla cal. ſic.
Hedychroi cal. ſic.
Cyphi cal. ſic.
De Roſis frig. ſic.
De Abſynthio cal. ſic.
De Rhabarbaro cal. ſic.
De Eupatorio cal. ſic.
De camphora frig. hum.
De ſpodio frig. ſic.
De Berberis frig. ſic.
De lacca cal. ſic.
De Capparibus cal. hum.
De Myrrha cal. ſic.
De carrabe frig. ſic.
De terra ſigillata frig. ſic.
De Alchachengi frig. ſic.
De agarico cal. ſic.
Alandal cal. ſic.
De Andronio cal. ſic.
De Violis frig. hum.
De Ramich cal. ſic.

DE PILLVLIS, SIVE Catapotijs.

Alephanginæ: ſol. in principio gradus ſecundi à ʒ. i. ad ʒ. iiij. exhibentur.
Agregatiuæ: ſol. in ſecundo gradu completo, à Seru. ii. adi ʒ. ii.
Aureæ: ſol. ut priores.
De Agarico Mes: ut ſuperiores.
Aſſaiaret. ʒ. & cum agarico: ut ſuperiores.
Arabicæ: paulò excedunt, & ideo minori doſi.
Artheticæ: ut & prædictæ.
De Rhabarbaro: ſol. in principio. 2. gradus à. ʒ i. ad ʒ. iiii.
Cochiæ ʒ. ſol. 2. gradu. completo. ut ſupra.
Cochiae praeparatae: ſol. principio tertii in minori doſi.
De tribus cum rhab: ſol. in principio. 2. gradus.
Indae: ſol. ut aurearum.
Faetidae: ſol. ut dictarum.
De Hermodactylis ſol. ut dictarum
Maſticinae: ſol. in principio. 2. gadus.
Iera. ʒ. ſol. ut dictarum.
Iera compoſ. ſol. paulo gradu excedens.
Lucis: ut aurearum.
Fumoterrae: ut dictarum.
Sine quibus: ut dictarum
De Cynogloſsa: incraſsãtes, ordine tertio ad ʒ. i.
De benedicta.

Bithichiæ : mollientes ord.2. ad.3.iiii.
Aloes loti : exiccantes . ord. 3.3.i.
Aloes loti cum infus. corroborantes /:
Rhabarbari. Sol. leuiter.

DE CONSERVIS

Saccarum Rosaceum : frig.i. ad Onc.i.
Violaceum. hum. .i. ad Onc.i.
Buglossatum . calef.hum.i.Onc.i.
Boraginatum. itidem.
Anthos : cal.sic.2.
De beronica. cal.sic.2.
De Acetosa: frig.sic.i.
De cichorea. frig.sic.i.
De saluia: cal.sic.2.
Nenupharinæ. fri.hu.2.
De scordio: cal.sic.3.
De Endiuia: frig.sic.2.
De malua: frig.hu.i.
De moschetis: cal.hu.2.
De citro: cal.sic 2.

DE SIEF : SIVE COLLYriis.

Album.5.opio.frig. ord.2.oculare.
Cum opio. frig. ord. 3.oculare.
De Thure : maturat ulcera oculorum.
De plumbo : Replet, consolidat uulnera oculorum.
Memithe: Frig. moderate : oculis prodest.

DE PVLVERIBVS

Capitales : exiccantes , calefacientes.
Incarnatiui : cal. moderate.
Cordiales: aromatici citra excedentem calorem.
Contra uermes : amari , adstringentes.
Sena præparata: sol. in primo gradu.
Constrictiui: siccantes,& moderate infrigidantes.

DE VNGVENTIS.

Rosatum mes. Refrigerans , exiccans :
Stomacale: exiccans, calefaciens, concoquens.
Pectorale: Molliens : Attenuás , abstergens.
Pro splene : Attenuans , incidens:
Sandalinum : refrigerans, exiccans :
Populeon : Frigefaciens ualde,& somnum concilians,

Galeni infrigidans : Refrigerans : exiccans.
De Cerusa: refrigerans, extingens ardorem.
Citrinum. extergens ualde, Repercutiens.
Digestiuum. cõcoquens. supurans.
De succo apii. mundificans, concoquens.
Mundificatium. mundificans.
De Minio. exiccans ualde, reprimens.
Abstersiuum. Abstergens potissimum.
Ægyptiacum. extergens ualde, exiccans:
Basilicon, Abstergens : carne replens.
Apostolorum . Emolliens, dolorem sedans, & extrahens.
De Betonica. consolidãs, glutinans : exiccans : extrahens.
Dialtea. Emolliẽs, humectãs, calefaciens.
Alabastrinum. discutiens, dolorem sedans.
Aragonum . calefaciens ualde. discutiens.
Comitissæ. adstringens, exiccans.
Artanitę. Attennans, incidẽs dissoluens.
De malo citrino. cõstringẽs.
Ceratum rosatum. infrigidãs, constringens, exiccans.
De meliloto . emolliens. calefaciens.

DE EMPLASTRIS solidis.

Diapalma. cõsolidans & glutinans.
Magistrale: infrigidans.
Diapompholicon consolidãs, & cicatricem inducens.
Sacrum. Atrahens, exiccans.
Isis Galeni. Abstergens : exiccans.
Diobotanum.
Cerinum Gal. 2. ad Glau. 8. ualde exiccans, & conglutinans.
Barbarum. Abstergens: Dolorem sedans .
Gumi elemi. calefaciens, exiccans ualde.
Diachilon .S. emolliens ord: primo.
Diachilon magnum. emolliens ord. 2.
Mollitiuum. emolliens, leuiter calefaciens.
De cerusa: frigefaciens, siccans uehementer.
Oxicroceum: Emolliens: Discutiens : Dolorem sedans :
Diaeuphorbium : calefaciens

ualde :

Capitale : calefaciens : exiccans .

Constrictiuum : Frigidans , exiccans,cõstringens ualde.

Triapharmacum: consolidãs, glutinans.

Tetrapharmacum: calefaciẽs: humect. pus mouens,& dolorem sedans.

Oxylæum. consolidans: glutinans.

DE OLEIS .S. ET compositis.

Oleum ex ouis : detergit cutim , regignit capillos , exiccat .

Ex Frumento anodynum, detergit .

De nuce muscata : corroborat, exiccat.

De myrrha: idem pręstat.

De myrtho: exiccat , repercutit .

Citoniorum: adstringit, corroborat.

Nenupharinum: Refrigerat , somnum conciliat.

Scorpionum: Frangit lapidẽ, aperit.

De Mandragora: infrigidat ualde somnum conciliat.,

De tartaro: detergit ualde.

Rosatum .S. repercutit,anodynum. Compositum. idẽ præstat.

De mentha calefacit uentriculum .

De absynthio idem efficit,deobstruit,lumbricos enecat.

De anetho: anodynum, aperitiuum,molliens, sudorẽ, & urinam prouocat.

De Ruta: aperitiuum,resolutiuum, anodynum .

Sambucinum : Lenit , abstergit, mundificat.

Amigdalarum dul. mollit , humectat,anodynũ,

Amig. amararũ: aperit, discutit, lenit.

De sisamo: lenit, impinguat.

Masticinum: neruis, cerebro, & iuncturis prodest, lenit durities,& dolores.

Nardinum: calefacit, tenuat, discutit.

De costo: calefacit ualde,aperit, discutit.

De Hypericon: calidum, siccum ualde, anodynum.

De Euphorbio: calidum immoderate, dissoluit.

De capparibus: excalfacit, & deobstruit lienem,emollit.

De pipere: tenuat, terget, calidum uehementer.

De castoreo: calidum ualde, rigores sedat.

De Terebenthina : calidum

moderate neruis prodest,
Irinum: terget, tenuat, resoluit ualenter.
De Vipera: detergit, exiccat, calefacit.
De lino: anodynum, mollit.
Omphacinum: repercutit, anodynum.
De Tasso Barbasso: adstringit, exiccat, anodynum, cõtra Scorpiones.
De Crisomelli: anodynum, mollit.
Liliorum alborum simpl. resoluit, mollit, anodynum.
Liliorum alborum compos. ualentius operatur, quàm superius.
Keyrinum, doloris sedatiuũ, discussorium.
Vulpinum: anodynum, resolutiuum.
De Lúbricis: corroborat neruos, anodynum.
De Kerua: abstergit, exiccat, anodynum.
Violaceũ: mollit, refrigerat, anodynum.

DE SOLVENTIBVS SIMPLICIBVS medicamentis, & nonnullis compositis.

Aqua lactis. Sol. in primo gradu & mansione : a libra ad iii. & iiii. & ultra.
Ius Gallo. Sol in primo gradu & mansione pariter.
Decoctio fructuũ. Sol pariter. ab uncia ad 4. & ultra.
Decoctio rosarum. } in primo gradu secundæ mansionis
Succus rosarum. } pariter.
Decoctio uiolarum } pariter,& quo ad dosim.
Succus Violarum. }
Decoctio fumiterrę } pariter, & quoad dosim.
Succus fumiterræ }
Decoctio absynthii }
Succus absynthii } itidem &
Decoctio Euparorii } quo ad
Succus Eupatorii. } dosim.
Decoctio capillorum Veneris. }
Sucus eorum,si habeti potest. }
Syrupus rosaceus sol. primo gradu. dosis eadem utsupra.
Syrupus uiolaceus. sol. primo gradu. utsupra, & paulò plus primo gradu.
Mel rosaceum. sol. itidem ut de rosaceo.
Mel rosaceum sol. primo gradu, utsupra.
Senæ decoctum primo gradu,utsupra.
Sena puluer. Secundo gradu,à ʒ. I. ad unciam.
Epithimum } Secundo gradu.
Polypodium }
Chartamus,seu cnici semina , pariter quoad dosim, utsupra.
Lapis cyaneus, quem
Lazulum uocant. sol. secundo ord. utsupra.
Ireos succus } sol. eodem gradu.
Stoecas. } utsupra.

Agaricus. Aloes. Assarum. Rhabarbarũ.	sol. propè tertium gradum. à scrup.ij.ad ʒ. iij.& paulo plus.
Nigrum ueratrum. Genestræ Flores. Turbith. Sarcocola. Scilla. Opoponacum. Hermodactylus. Flores moschetarum.	Sol.in tertio gradu,quorum dosis est à scru. i. ad ʒ. i.
Scamonium. Colocynthis. Elacterium. Esula. Thapsia. Euphorbium. Dend.Auic.	Sol.in quarto gradu, quorum dosis est à granis 4.ad ʒ.1.

FINI.



AD MARCVM ODDVM PATAVINVM MEDICVM CLARISS.

ANDREAS BACCIVS S. D.

DE DIGNITATE, THERIACAE.



N tanta pestis sæuitate Marce Odde, quæ iam tribus hinc annis per tot præclaras Italiæ Ciuitates miseris adeo modis grassatur, ut solita est summa illa bonitas etiam in malis suas iugiter elargiri gratias; uel hãc unam profectò diuinam ex his erumnis compensationem nobis impartiri uisa est, quòd excitatis ad communem salutem multorũ peritissimorum ingeniis, non pauca edita sint de peste commentaria, in quibus, præter illas ueterum traditiones de communibus Epidemiorum exordijs, quæ à communi nimirum aere contrahantur, inficiantq; plurimos hominum; utilissima subinde, a-

deoq; necessaria explicari uidemus proble mata ; ut , siue ad morbi essentiam respiciamus , & causas , siue ad consilia praeseruationis, siue ad curandi methodum , & alia ministeria , iam integrã hanc tractationem fore, ac exactissimè excultam existimẽ: Et praeterea , quod maximi momenti fuit ad communem mortalium conseruationem, & usum; exquisitissima in totum censura circa medicinarum delectum, ac propriarum contra pestem Antidotorũ habita est. Quorum studiorum cum non Viri solum docti, & Illustres multa; uerum etiam ex summis Regũ ac rerum publicarum decretis, praeclara medicorum collegia curam susceperint ; eximiam certè laudem inter alias, assecuta est uestra Academia Patauina , tuaq; opera inprimis, Marce Odde Clarissime, qui curauistis Theriacam, omnium Antidotorum reginam , quasi è tenebris in clarissimam lucem uendicare , ac singulari, eruditissimoq; examine, quàm sincerissimam, & ueram reddere posteritati. Excitauit porò haec me uestra solertia, ut cum ipse è tanti Theatri subselliis hanc praecipuè partem Scaenae uestrae spectarem, curiosum hoc, & (ni fallor) utilissimum Lemma examinare susceperim, de Viperinae

carnis ratione, ac necessitate in Theriaca. Quod ut iampridem ad doctissimum Aldrouãdum in sua Echidnologia, & ad Antonium Portum meorum amicorum præcipuum, pro quadam ueluti exercitatione in suis de peste commentariis destinaui; ita uelim nunc quasi appendicem quandam in uestro illo apparatu, ac diligēti examine huius Antidoti adhibendam, olim fortè tuo iudicio, pro dignitate Theriacae meliorem lucem habituram.

Vale Romae.

VI. Idus Februarij.

MDLXXVIII.





AD ANTONIVM PORTVM ARTIVM, ET *Medicinæ doctorem egregium*

ANDREAS BACCIVS S.

Quæ nam ratio sit Viperinæ carnis in Theriaca.

CAP. PRIMVM.



N tuis Commentariis, Humanissime Frater, quos adeo diligenter, eniteris de Peste conscribere, inter multa, quæ exactissimo iudicio, ac doctrina tangis problemata, subtilissimam, ac in arcanis sententiarum recõditam proponis quæstionem, quę pertinet, ad Sympathiã, & Antipathiãm rerum, Quæ nam ratio sit carnis Viperinę in Theriaca, vt cũ Vipera exitiale iactet suo ictu venenũ, Caro tamen eius in hac nobili confectione partem subeat antidoti contrà Venena. Inqua equidẽ, post multa mecũ excogitata, & collecta: nullam tandem inueni meliorem rationẽ, nisi eam, quam præsentibus uerbis tibi prætuli naturalẽ consensum, ac analogiam per inde subiecti simul, ac formæ eius carnis cũ sua forma, qua specialiter vipera est vipera, idest animal serpens ictu suo uenenũ eiaculans, & interficiens. Typus quidem rationis huius hic simplex est; sed qui deductiones habet altissimas. Nam quæstio (ut dixi) recondita est, & tam à veteribus,

q̃ iunioribus partim quidem dissimulata, partim uerò desiderata, sed relicta inter abstrusa eiusmodi natura problemata, quæ fiunt de Animæ essentia, de Formatiua uirtute, de differentiis propriis rerum, & temperamentis: quorũ cum Galenus aliquam rationem affectauerit ab Aristotile, & à Platone; rerum tamen ipsarum difficultate permotus, & quia hæc in intimarum formarum, ac differentiarum essentia uersari cognouerit, ad quarum indagationẽ uix ulla sensuum, aut humani ingenii ratio peruenire præsumit, susq; deq; quęstiones, ut alii priores, indeterminatas reliquit, hoc tantùm effatus, quia formæ ipsius tales differentiæ sint, & effectus tales. Et profectò in hac ipsa quæstione haud secus euenit: nam quantumuis auctor ille, qui scripsit de Theriaca ad Pisonem, hoc problema (ut locus ipse admonere uidebatur) examinare intellexerit, quid caro Viperæ in Theriacæ cõmistione operetur, parum tamen mutato themate, disputat, quo pactò Animalia quædam, quæ nobis inimica sint, & hominem perimant, foris tamen imposita illis eisdem uenenis contraria, ac patientibus auxilio esse possunt; & post iactata multa aliarum rerum experimenta, ac euentilata suæ professionis dogmata prommissæ tandem rationis hoc protulit arcanum, idcirco id genus animalia uirulenta, uel earum partes ad positas conferre, ut cum non tantam habeant uim, ut nocere possint, sanare imposita non nocere queant: Ac eadẽ forte ratione intelligens carnem uiperinam huic antidoto immisceri, ut cum non tantum habeat uim, ut nocere possit, sanare exhibita non nocere queat. Quæ non solum primæ non satisfacit quæstioni, sed laxa nimis, ac iners adeo ratio est (pareant illi manes) ut uel hæc sola certissimũ præbeat argumentum, eam, quæ de Theriaca ad Pisonem tractatio inscribitur, haud dubiè non esse Galeni; quam coniecturam, & stylus ipse confirmat à Galeni stylo adeo diuersus, ut qui abundans potius, ac fusus, in co uero scriptor alioqui elegantiæ studiosus, iactabundus uidetur, ac uarius, eius sectæ (ut conycio) aliquis, qui paulo

post Galeni tempora, Seueri, aut Septimii, uel duorum suc cessorum Imperatorum ætate (ut geminatis nominibus aliqua indicat dicendi formula) non nihil acuminis, ac sub tilitatis appetere uidebatur, sed non assequi. Quam nos in tui gratiam qui me ad necessariam nobilis huius antido ti excitasti considerationem, explicato magis sermone ten- tare conabimur.

Quęstio in tres diuisa, sententia Autoris ad Pisonem circa quęsitum, & impugnatio.

CAP. SECVNDVM.

QVæstio ergo non simplex est, sed tres habere uidetur partes. Prima quærit in uniuersum, An Animalia ue- nenosa cum sint, & inimica homini, alioqui iuuare ta- men possint in medellis. Altera speciales poscit causas, qua ratione ictu quopiam à Scorpione, mure araneo, Vipera, uel aliquo id genus animali uirulento eadem si puncturæ im- ponantur, iuuare possint. Et tertia, cuius principaliter ratio quæritur de Vipera in Theriaca, quam facultatem eius caro adiungat antidoto, ut per eam uim acquirat (vt prædicāt) contra id ipsum, & aliud quodcunq; ueneni genus cer- tissimum. Pertinent uerò ad commune problema natura- les illæ sententiæ, quas auctor ad Pisonem ex pluribus re rum experimentis comprobatas collegit, ac tres illæ præci puè. Medicinas ingenita quadam facultate præditas esse ad certas operationes, siue à qualitate operentur, vt ignē, qui comburat: siuè à tota forma, vt Magnetem lapidem, qui trahat ferrum. Simplicia, cum aut qualitate aliqua, aut tota agant forma, eademq; possint semper: alia ta- men diuersis suis partibus, diuersos, & planè contrarios moliuntur effectus. Idq; trita declarant experimenta, cū de morsis à Crocodrilo, Crocodrilinus ipse adeps manifeste auxilio sit. Et quòd uulgi experimentum est de Canis ra- bidi pilo, qui eius morsui impositus hominem uendicet

à periculo. Alia haud dubiè, uel ex commistionibus, uel certè ex uaria administratione, uno modo noxia reperiri, alio uerò uim aliquam iuuandi, acquirere. Sic traditur scorpium, si assatus cum pane comedatur, calculos in Vesica frangere Ictu suo necare, at foris tritum ac impositum sanare. Ac similiter necare quidem morsu Viperam, contra uerò ictui impositam iuuare haud leue fermè uideri poterit argumentũ, ut exhibita eius caro in antidotis sanare queat, ut casu quoq; compertũ est uinum, in quo Vipera suffocata erat, hominem, qui imprudens ex eo bibisset, potuisse sanare. Diuersa præsertim sui parte, enecans quidem dentibus, utpote quæ maxime circà caput & caudam Veneno scatere reperiatur; reliquo uerò corpore, & qua parte utimur carne innoxia, ac salutaris antidoto. At hæc quidem cum uera habeantur experimenta, ac acceptentur omnia, ad aliquam tamen potius accedunt probabilitatem, quàm ut propositi axiomatis concludant ueritatem per suas causas, quæ latent altius; Et illa sanè adductio de Scorpione, & aliis eiusmodi animalibus, Vt cũ tantam uim Veneni non habeant vt lędere possint, idcirco foris imposita sanare posse; non solùm quidem superficialis, ac inanis est, sed etiam quædam uidetur petitio principii. Nam uariam esse actionem, ac administrationem, si pungat animal, ac feriat, an potius tritum cataplasmatis uice ictui imponatur, & sanet; huius inquam operationis, ac diuersitatis ratio quæritur. An à proprietate formæ id pręstet, an aliqua qualitate. Non formæ esse potest, nam sic à tota forma, semper est uenenum. & præterea, quia iam forma perempta supponitur, & relictum cadauer. Ergo à qualitate id operatur, quæ siue calida ponatur, siue frigida, & quæ stupefaciat Venenum, sic æque omne calidum cataplasma, uel frigidum, impositum uirus illatum stupefaciet. Non ergo id illi speciale, & tamen ut speciale imponit.

Responsio ad primum quesitum ex Galeno.

CAP. TERTIVM.

QVa ergo ratione Venena, aut nocere possint, aut cōtrà auxilio esse, & medicinæ, recogitanda hic nobis sūt ea, quæ miris modis edisserit Galenus in 5. de simpl. cap. xix. ubi supposita cōmunissima illa distinctione duplicē esse Rerum simplicium rationem, & contrariæ inuicē actionis. Alia enim Amica esse etiam similia naturæ, Vt Alimenta, Alia uero Aduersantia, ac omnino dissimilia, ut Venena, & deleteriæ facultatis medicamenta; concludit necessariò, quę proprie, & uerè Alexiteria, siue Alexipharmaca uocantur antidota, id est medicamenta contra uenena, in media utrarumq; rerum iuuantium. 5. & nocentium constituta esse debere; Quæ uidelicet quadam ratione amica sint, & similia naturæ, à qua tamq̃ amica recipiantur; quadantenus uero contraria sint; quapropter (inquit) & si hæc deleteriis aduersentur, largius tamen sumpta grauiter animantis corpus oblædunt. Rationem uerà in uniuersum inuestigat à uenenorum natura, quippe agunt Venena, aut à primis qualitatibus, ut aqua frigida, quæ extuanti, ac laboranti epota, solet esse uenenum, Gypsum exiccat humidum radicale, & Arsenicum comburit: Aut à secundis, ut Crocum, quod cùm non ledat à primis, nec caliditate, nec siccitate, ambarum tamen coniugatione, adeo aperit, ac laxat spiritus, ut exhalare agat animam: Aut à tertiis, quæ pręuiis tùm primis tùm secundis, proprium quoddam feriant membrum, ut Cantharides, quæ dilacerant Vesicam: Aut lædunt tandem à tota substantia, & specifica uirtute, ut (quod minimum uenenum est, sed huic demonstrationi aptissimum) Vrtica; quę uel leui contactu urit: Apicula ferit aculeo, & Scorpius insensibili ferè ictu cauda enecat. Hæc summa Venenorū ratio est. Æqua ergo ratione deducimur, ut quæ his uenenis mederi possint, pari uirium gradu aduersentur illo-

rum

rum uiribus: calida frigidis, frigida calidis, cęterisq; eodē gradu contrarijs: Et ueneno similiter aperienti obstruentia optima sunt, ac densantia: ut fortè Terra lemnia, quæ nimirum uidetur conferre adstrictione sua, qua sese inter Venenum aperiens, & spiritus ipsos exhalantes interponit: itaq; cohibet illorum dissolutionem. A Tertia uero qualitate, quæ uel membrum communiant, uel à contraria proprietate uim illam retundant Veneni; quod fortè præstant contrà cantharidum acrimoniam lenientia, ut lac, oleum, & albumen Oui. Propriè uerò (in quo punctus consistit totius quæstionis) eorum, quæ ueneno à tota substantia resistunt, non est à gradibus qualitatum inuentio, sed sola constant ratione, quę .5. in medio constituta sint (uti dictum est) tam naturæ nostræ, quàm Veneni: ut partim quidem similia sint, partim uero dissimilia, quæ propriè est natura Alexiteriorum & Alexipharmacorum. Similia esse debent, ut appetant; dissimilia uerò, ut non conuertantur in substantiam naturæ, sed uim quadamtenus exerceant medicamenti, ut sic corroboratis pro similitudine partibus, quibus læsio ueneni timetur; cæterum pro contrarietate illato resistant ueneno, donec illud natura præualens uincat (ut uerbo utar Galeni) & undecunq; extrudat, per conuenientem uiam, uel uomitu, quod plurimum fit, uel deiectione, uel etiam sudore. Sed locus hic dubitationis occurrit, quomodo à Galeno dictum sit Theriacam, & alia Alexipharmaca mediam obtinere conditionem inter alimenta, & medicamenta, cum uera sit, & concessa omnibus propositio inter duo uerè contraria nihil esse medium? Dicunt id non mirum ut ex duobus natura contrarijs, medium factum sit arte: Vt de Theriaca constat, quæ ob eam rationem, partim quidem ex alimentis, ac rebus naturæ familiaribus componitur, partim uerò ex medicamentosis, & uenenosis. Sed hæc solutio non tollit argumentum, nam & in natura proculdubiò datur tale medium: quod satis dicam esse, ut per gradus, & qualitates partim distet, & contrarium sit, partim simile sit, &

conueniat cum extremis: ut quantum quidem pro similitudine mutuo simul amplexu iunguntur medicamentum & uenenum, tantum ex aduerso natura in suis uiribus, ac cognatis rebus confirmata, uim propriam, qua solet, exerceat in contraria, medicamentum simul, & uenenum expelendo, uel extinguendo.

Responsiones magis explicatè ad propositas difficultates.

CAP. QVARTVM.

EX his itaq; explicatius, & planius ad propositas quæstiones respondemus. Et primùm quòd Scorpius contritus, & Cataplasmatis uice ictus impositus iuuet, hac nimirùm ratione iuuat, à similitudine substantię, ac cognatæ uenenj illius materiæ, quæ ut symbolum, & uniuocationem cum illo habebat, & uitam, sic eamdem exercet analogiam, illi se commiscendo, & continendo in se. Itaq; festina illa supponitur appositio, & quę carnes morsui illitę aliquam adhuc retinere existimentur symmetriam, nõ omnino cadaueratæ sint: præter, quòd Natura intelligatur loci affecti ad id fauorabilis, & cooperans, ut dum uenenum tamquàm inimicum oppugnat, ac eius penetrationi resistit, agat, ac regulet (ut aiunt) uim impositi cataplasmatis, quod ratione similitudinis uirus illati ueneni amplectatur, ac concorporet in se. Atq; ex hoc profectò naturali consensu ratio habebitur omnium consimilium, qui narrantur, effectuum, de Mure araneo, de Cocrodili pinguedine, & de Cantharidibus, quæ urinam, admixtæ creant, & quòd Scorpius, si torreatur, ac cum pane mandatur, frangat in uesica lapidem ob similitudinem. 5. quam cum illis locis, & affectibus hęc omnia habent naturalem.

Nec porrò de carne Viperarum in Theriaca, quæ tertii quæsiti est, alia ratio esse potest, nisi eius similitudinis. Vel ea fuit saltem primi auctoris Andromachi intentio, qui ueteri

alioqui, & tamdiu comprobatę antidoto sine carne Viperæ eam primus addere sategit. Imo ea ratio simpliciter ne quicquam, et uix ullam habere uidetur efficaciam, si illa militant argumenta, ob iactatam præsertim subiecti diuersitatem, uiuentis animalis, & emortui. Vel quomodo Viperinam carnem idcirco adponendam asseramus, quæ ratione similitudinis attractiua sit ueneni sibi congenei, quando contrà ipse auctor renuit, uenenatas debere esse carnes? Viperinam carnem (inquit) potissimum adponendam, quia uiperis non tam noxia uis inest. Et partem monet immiscendam Viperæ, quæ minus Viperinæ qualitatis sit, amputatis nimirùm capite, & caudæ quatuor digitis, quæ uirulentae magis partes sunt, caput quidem, quia sedes, & locus ipse uidetur generationis ueneni, ut uasa, & muliebria seminis, & vbera lactis: & cauda quia repit facile ad ipsũ uenenum ex motu, ac magis ad se sordidum trahit humorem. Accedit porrò ad hanc obiectionem, quòd uisus hic auctor parum idoneam habere rationem apponendæ eius carnis in Theriaca transiliit quasi emendicans ad rationes communes, ac tres illas adstruit: Primam, quod illati ueneni uirus, ob sui debilitatem paulatim in profundũ corporis penetrat, interimq; contusum illud ipsum animal iuuare posse, cathaplasmatis uice adpositum; Alteram, quia maximi momenti contrà omnia id genus uenena putandum, tot generosa simplicia, quæ hæc antidotus admittit, quot ferè habet uniuersa natura, ea q; ad omnes operationes idonea, calida, frigida, soluentia undecunq; uiarum, confortantia præter cętera, & ex aduerso ueneno contraria. Et tertiam, quæ uim obtinere uidetur demonstrationis, extimandas in ea concludit, non solùm cuiusq; simplicis singulares facultates, sed tertiam potissimum, quæ ex tam nobili mixtione omnium consurgit uirtus, quæ sexcentis annis, antequam caro uiperina ei immisceretur, ac mille experimentis constat contra uenena præstitisse miracula. Ac profectò in his cum tota consistat Theriacæ uirtus, uix ulla ergo Viperinæ carnis necessitas? Nisi for-

tè ad opinionẽ,quã diximus, ſimilitudinis ſubiectæ eius ma teriç cũ congruo ſibi ueneno reccurãt. Vnde,quod in omni compoſito medicamento planè intelligitur, nobiliſsimi hu ius antidoti partes compoſitæ ſunt , & uariæ facultates. Quæ , ut miro artificio omnes congruunt in hanc formam, ac finem incomparabilis remedii,quod uincat,ſuperetq́; uenena,ita ſingulæ peculiares præſtant operationes. Ac duæ primæ alteræ ſua quaq́; qualitate , uel etiam occulta uirtute corroborant partes principes, quæ & in unionem,& conſeruationem uitæ conſiſtant, & alteræ æqua la nce noxia uincunt,& undecunq; expellunt. In reliquis ue rò mirifica naturæ miniſteria per eas facultates contemplari licet , quæ pro qualitatum gradu , ac uirtute con trariis pugnant, conſpirantq; omnes contra noxia. Aliæ compeſcunt uim puta frigidç: Aliæ diſſoluunt, ut calidæ: Aliæ contemperant. Aliæ firmant ,a retinent , ut tertiæ facultatis,&aſtringentes. Aliæ expellunt ad conuenientem exitum. Aliæ digerunt, ac exhalare faciunt,ut tenuium par tium. Aliç conſopitos fortè ſpiritus recreant , ut cordialia omnia. Cçterum caro ſpecialiter uiperina,ut ratione ſimilitudinis congeneum ſibi contrahere ualet uenenum,re tinet, quod ſui eſt, tranſitum ad partes corporis intimas, ac interim natura in ſuis uiribus recreata,ratione ſpecialis eiuſdem carnis facultatis , qua attenuat, ac exigit ad cutim, expulſa ad partes extimas,ac per ſudorem omni noxia qualitate, hominem liberat, ac ſeruat incolumen. Quæ quoniam non ſunt ordinariæ cæterarum medicinarum operationes, idcirco hæc non medicamenta dicuntur, ſed dignius quiddam , ac excellentius ſortitæ ſunt nomen .5. Antidotus , ideſt Electarium contrà mortem (Deo annuente) & reſtituens in Vitam hominem.

FINIS.



CLARISSIMO ET DOCTISSIMO VIRO ANDREAE BACCIO

Marcus Oddus Patauinus. S. P. D.



Octissimum discursum circa arduas de viperina carne difficultates Clarissime vir, quem superioribus annis per Clarissimum Hieronymum Mercurialem tui, meiq; amantissimum, & in omni bonarum literarum genere Excellentissimũ uirum ad me misisti, nõ potui in lucẽ confestim emittere, comunemq; literatis hominibus efficere, quemadmodum & tractatio per quàm pulchra, & ualde utilis, meaq; in te obseruantia exposcere ui

debantur. At cum hoc tempore occasio sese offerat, ut methodum quandam de medicamentis componendis scolaribus nostris tradi tam in lucem emittamus, nobis uisum est tractationem illam nostræ methodo adnectendã esse, cum utraq; maximam habeat inter sese societatem. Proinde optabam iamdiu, ut tempus quid mihi daretur, in quo quippiam pro tuis roborãdis difficultatibus proponerem, acutissimumq́; ingenium tuum excitarem; uerùm & uisitationes ægrotantium assiduæ, & publicæ lectiones, et priuata negotia me adeo ab hoc honestissimo desiderio distraxere, ut hãc in hucusq; diem totum hoc negotium distulerim. Cæterum cum utraq; & methodus nostra, & discursus tuus de tribus arduis difficultatibus hominum conspectui tradantur, non potui hæc pauca uolanti calamo ad te non scribere, tùm ut meum in te amorem ob tuas egregias uirtutes ostendam, tùm ut quæ à te disertissime sunt pertractata, corroborem. Scias autem in primis uelim, Clarissime vir, nos quoq; eiusdem esse senten

tiæ libellum illum de Theriaca ad Pisonem Galeni non esse : quæ uerò me in hanc sentẽtiam contraxerunt, præter cætera duo ea sũt, inusitata Galeni phrasis , et opposita quibusdam decreta, quæ idem legitimis libris sustinuit. Et enim cum soleat Galenus quæcũq; aliàs ab eo scripta sunt, testari, libello eo de Theriaca, cum occasio sæpius sese pãdat, nullibi se ipsum testatur. Quòd uerò propriis aduersetur decretis , in eo palàm ostenditur , quòd Gal. iecur sustinet sanguinem gignere, qui per uniuersũ corpus demãdatus ei est alimẽtũ ; at libello illo scriptum est, cor purum sanguinem suscipiens toti reliquum, ut iam nutrire possit, corpori transmittere, ut iuxta hoc placitum Aristotelis potius sententiæ fauere uideatur, qui cor sanguinis principiũ, ex eoq́; tantum puro corpus nutriri existimauit, cùm tamẽ Gal. ex Hippocrate propriis, genuinisq́; libris pituita quoq; & utraq. bile idipsũ uesci arbitretur. Cæterũ etsi libellus is Galeni nõ est, eum tamen alicuius disertissimi uiri ẽe semper suspicatus sũ , neq; adeo

48

ſpernendum, cùm et eius decreta defendi queant: nam inter cætera etſi non explicitè uiperinæ carnis impoſitionis cauſam ſtatuat, poſſumus tamen ex his, quæ doctiſſimè idem conſcripſit, eam decerpere, ſicut & in noſtra methodo à nobis eſt explicatum: cùm enim aſſerat exemplo Trifolii herbæ, quæ hyacintho ſimilis eſt, eam decoctam morſibus Aranei, uel Viperæ ex aqua fotu adhibitam ipſis mederi, & dolores ſtatim ſedare; ſin autem in alio non commorſo ſanum locum eodem fotu circumdederis, ſimilem ſenſum, ſimileſq; dolores iis, quos morſus inuehit, inferre, ſub indicare uoluit, hoc quidem prouenire non poſſe niſi ob ſimilitudinẽ, & amicitiam, quã habet medicamentum cum ueneno Aranei, aut Viperæ: cùm tamen diſſimilitudo & inimitia quedam inter id medicamentũ, & corpus noſtrum interſit, qua eadem symptomata inferat perinde, atq; uenenum id, quod ex morſu in corpus infligitur. Atqui autor ille olfecit cauſam, at eã non exacte explicuit, ut tibi uidendum uideatur, cum ſubdat re-

uera miraculo dignum esse uideri herbā hāc & morsum sanare, & ferarum modo prauè sanam partem afficere. Qua de re magis pro bas Galenum, & rectè sanè, qui legitimis li bris, & præcipue. V. de simpli. med. magis physice, et clarius causam assignauit, dum similitudini, & dissimilitudini, amicitiæ, & inimicitiæ, & mediæ deniq; naturæ Alexite riorum, et Alexipharmacorum īter uenena, & corpus nostrum effectus hos omnes attribuit, ut per optimè in tuo habes discursu, nosq; in nostra (pro ut loci opportunitas require bat) methodo demonstrauimus. Proinde supersunt, et alia, quæ non mediocrem in hac materia pariunt difficultatem tum à Clarissimo Erasto, tum ab aliis doctissimis uiris tacta, atq; potissimum id, quod in tuo discursu tetigisse uideris, quomodo fieri possit, ut medi camentum à tota agens substantia, seu forma, tam uiuens, quàm demortuum eadem polleat facultate, semperq; corpori nostro aut simile, et familiare sit, aut dissimile, et inimicum? Verum hoc, ēt alia huiusmodi altiorem

exposcunt contemplationem, quam superioribus temporibus luculentissime habuit Clarissimus, et totius Europae primarius Philosophus, et Medicus Bernardinus Paternus, dum publicè. V. de simplici medicina Galeni librum interpraetaretur, cuius elucubrationes non solum circa haec, sed et alia grauiora medicinæ problemmata à Medicinæ Cădidatis summopere desiderătur. Tu uerò interim, qua soles humanitate amicorum labores libenti animo legere, nostros etiam percurres, meq́ diligas obsecro, cùm et tibi deditissimus sim, uotisq́ tuis paratissimum me semper subiiciam. Vale.

Kal. Augusti 1583.

Patauio.

ODDVS DE ODDIS IOANNI BAPTISTAE RAMVSIO COMPATRI CARISS. S. D.

De Turbith.



Etiisti à me Vir Eruditissime,ut tibi exponerem, numquid opiner, quod ubiq; pro turbith officinæ uēdunt, ac pharmacopolæ oībus ferè medicamentis pituitam purgandi facultatem habentibus adiiciunt,id sit,quod Arabes describunt, sub hoc enim nomine græci authores minime (quòd uiderim) de eo mentionem fecerunt, licet enim apud Dioscoridem in cap. de pityusa,ubi de radice loquitur illa uerba legantur grȩce, quam Turpeth uocant tamen non esse Dioscoridis ostendunt uetustissima exemplaria. Ego quidem ut tibi & mei, & bonarum artium amantissimo satisfaciam, scribam,quod sentio, nec uelim existimes id ex mea me officina producturum, quando Matheus ille Curtius numquam satis laudatus, cum ambo in gymnasio Patauino medicinam publice profiteremur, quod scribam me sæpe audiente affirmauerit, necnon & Leonicenus,ac Manardus Ferrariensis illud monumentis mādauerint, ac omnes deniq; hi,qui antiquis,& bonis authoribus, quàm recentioribus,& barbaris, ut Simeonibus,& Pandectarijs,maiorem fidem habent,profiteantur. Inuenio itaq;, ut rem aggrediar Serapionem inter Arabas de Turbith loquētem in eo libro, quem de simpl. edidit cap. proprio, in cuius cap.ini

66 67

tio de turbith ea omnia recitat,quæ Dioſcorides libro 4.cap. 136.de tripolio ſcribit,ita ut liquidisſime cõſtet turbith apud Serapionem eſſe tripolium apud Dioſcoridem,quorum uerba nunc non conferam, quando unuſquiſq; id facile posſit efficere: Inuenio prætcrea Raſim, Haliabatem,& Auicennã, qui de Turbith meminerunt,nihil quidem ſcribẽtes,quod eis repugnet, quæ de eo ſcripſit Serapio; Demum poſt hos Meſues quædam ſcripſit de Turbith, quę inter ipſum, & Serapionem conueniunt, quale eſt id, quòd eius corticem radere oportet, quoad eius album inſpiciatur, quædam autem omnino his repugnantia,quæ Serapio de Turbith,Dioſcorides uero de Tripolio ſcribit,quale eſt, quod ait turbith habere folia ſimilia ferulæ: quæ Serapio inquit ſimilia eſſe foliis eius plantæ, quam corrupto uocabulo araſatim uocat, Dioſcorides uerò iſatidem, uel glaſtum: Quædam inſuper ſcripſit Meſues, de quibus nec Serapio, nec alii mentionem fecere,qualia ſunt turbith eſſe ex genere lac habentium,ac uomitionẽ concitare, adeo ut non posſimus non eſitare, an Meſues Serapionis turbith deſcribere uoluerit,an uerò aliud, cum enim ſuo turbith multa attribuat,quæ aut Serapioni repugnant,aut de quibus Serapio nullam fecit mentionem, videtur quidem Meſues uoluiſſe ſuum turbith ab illo Serapionis differre. Verum cum multa de eo ſcribat Meſues, ac ſi à Serapione illa mutuatus eſſet, uidetur noluiſſe de alio turbith, quàm Serapionis intellexiſſe. Quod ſi ex me quæſiueris quid in hac dubitatione ſentiam, non potero non reſpondere,me ualde ſuſpicari illud turbith Meſue ſomnium eſſe,quãdo manifeſtũ ſit,nec eſſe illud Serapionis,neq; etiam aliquam earum plantarum radicem,quæ lac habent, de quibus et Dioſcorides,& Serapio meminerunt, non enim aliquam ex ſeptem tithimalorum ſpeciebus eſſe poteſt, nulla ſiquidem ex eis folia habet ſimilia ferulæ, eadem ratione neq; lathyris radix, quam Serapio mendanam,aut cataputiam appellauit, cum præſertim Dioſcorides dicat nullum eſſe radicis uſum, inſuper nec peplos eſt,nec peplis, quas eaſdem uires habere dixit Dioſco. quandoquidem harum radices inutiles eſſe idem ſcripſit, atq;

alteram foliis rutæ, sed latioribus constare, alteram autem peplidem .5. foliis satiuæ portulacę, propter quod aliqui siluestrem portulacam esse uocitant: Neq; etiam quis posset affirmare radicem esse pityusæ, quam Actuarius apud græcos medicus non ignobilis dixit, ut recitat Leonicenus à barbaris turbith appellari, quãdo Mesues scripserit turbith habere folia similia ferulæ, Dioscorides uero pityusam foliis piceæ, siue pini constare. Deniq; si quis singulas acutum lac habentiũ species examinare uoluerit, nullam inueniet, cui descriptio turbith Mesue posit conuenire. Quare onus inueniendi quid illud sit illi subeant, qui Mesue perinde, ac Euangelistæ fidem habent. Vt igitur ei respondeam, quod ex me quæris, dubito in primis turbith, quo pharmacopolæ utuntur fortè non sine uitæ hominis discrimine non esse illud Mesue, cum suspicer quid illud sit: prętere a licet numquàm plãtam communis turbith aut uiderim, aut quispiam, qui eam uiderit, mihi descripserit, quod ad iudicãdum an turbith, quod passim uenditur, sit illud Serapionis, non parum fidem faceret, tamẽ eo argumento facile ostenditur, eam radicẽ, qua pro turbith cõiter utuntur, non esse Turbith Serapionis, quod dixit Serapio accipiẽs à Dioscoride Turbith esse odoratum, & calidi gustus, quorum utroq; caret commune Turbith: Si quis autem Actuarij gręci ductus authoritate dicat commune Turbith esse radicem pityusæ, sciat id carere ueritate, quippè cum Turbith commune digitalis sit crassitudinis non cãdidum, non utiq; potest esse radix pityusæ, quam Diosio. dixit esse candidam, & absolute crassam. est enim Dioscoridis loquendi modus eas radices absolute crassas appellare, quæ longè digitalem crassitudinem excedunt, ut non ignorant, qui in eius lectione sunt uersati: Neq; arbitror Arabas uoluisse turbith esse radicem pityusæ, ut falsò Actuarius (nisi per barbaros alios fortasse arabas intelligat) illis uidetur imposuisse forte iis uerbis deceptus, quæ in cap. de pityusa apud Dios. ubi de radice fit mentio, nonnulli addiderunt, quæ non esse Dios. superius diximus: Nempè Serapio, quam pityusam Dioscorides, nominat, Scebram .i. esulam appellauit,

quam etiam de Tithimallis agens corrupto uocabulo pthias uocauit, hoc autem erit manifestum, siquis uerba in utroq; loco à Serapione scripta illis contulerit, quæ de pityusa à Dioscoride scribuntur: Hanc fortè Auicenna tametsi caput scribat de scebram mehezeheregi appellauit, ut nonnulla eius uerba innuunt, cuius uocabuli significatum author Pandectarum fatetur se ignorare, qui insuper grauiter errauit scribens esulam, uel scebram græce peplum nominari, siue enim de peplo, siue de peplide à Diosco. descriptis intelligat, manifestum est esulam ab utrisq; maxime differre, quando dicat ipsemet author habere folia pini, cyparissiæ similem esse, qualem pityussam esse constat ex Dioscoridis lectione, non autẽ peplum, uel peplidem, quas foliis rutæ peplum. 5.& foliis satiuæ portulacę uidelicet peplidem constare scripsit Dios. Ex his facile est uidere quàm inexplicabilis sit iunioribus medicis de communi turbith ambiguitas, nisi negligẽtia semota bonos authores perlegentes, atq; ad sensum confugientes, qui harum difficultatum uerus est iudex in disquirenda ueritate diligentiores efficiantur: Neq; enim illis credendum est, qui radicem aridam ad nos afferunt, siquidem Manardus Ferrariẽsis in primi libri epistola prima scripsit à fide dignis se accepisse commune Turbith ex planta accipi, quæ folio mirthi cõstat, Leonicenus uerò dixit quemdam sibi pharmacopolam de flore turbith, quod de folio turbith, scribit Diosc. fuisse testificatum, quòd uidelicet mane candidus, meridie purpureus, uespere phæniceus conspiciatur: Quòd si esset ut Manardus recitat, posset quis suspicari commune turbith radicem esse secundæ speciei Tithimalli, quam fęminam uocant, eam enim foliis Mirthi, sed maioribus constare dixit Diosc. si uerò ut Leonicenus, indicaret Tripolium esse Dioscoridis, quod esse non posse superius ostensum est, quando cõmune Turbith nec sit odoratum, ut Tripolium, nec calidi gustus. Quare studendum est, ut planta uirens omnino inspici possit, ne in similem incidamus errorem, in quem Simon genuensis incidisse uisus est, is enim cum uidisset Mesuem inter lacticinia enumerasse Turbith, quod eisdem uerbis à Serapione,

quibus Tripolium à Diosc. descriptum inuenerat, dixit Tripolium esse de nume. lac habentium, quod nunquam Diosc. somniauit: Nec minus errauit Matheus Syluaticus libri Pādectarum autor duo scribens capita alterum de Tripolio, alterum de Turbith,& in cap. de Turbith uerba recitans Serapionis,nec non & illa Mesues,ac si de eodem Turbith loquerentur,quibus & uidetur credidisse turbith Serapionis aliud esse à Tripolio Dios. Ex iis mi Ramusi unicuiq; facile est colligere,quàm tutò,quæ medicamenta à pharmacopolis conspiciuntur,hac tēpestate ægrotantibus à Medicis exhiberi possint,si quidē sępissime accidere arbitror,ut necesse sit pauperculos ægrotantes non modo cum morbo,uerum etiam cum deuoratis medicamentis dimicare,quando aut unum pro altero,aut aliquando etiam uenena pro medicamentis propinentur. Censeo igitur Vir doctissime commune Turbith nō esse illud Serapionis, de illo autem Mesue quid dicam,nescio, cùm non minus, quàm hoc, quo medici hac tempestate perinde, ac noto utuntur, ignoretur quid sit. Hęc sunt,quæ hac in re ad te subito scribere mihi uisa sunt, Reliquum est , ut ualeas, meq; mutuò, ut facis, ames.

BENIGNO LECTORI.

Typographus.

NOn potuimus ob literarum græcarum inopiam Benigne,& humanissime Lector,quæ ab Autore scripta sūt, græcanicis literis adaptare : Indicauimus autem latinis,ut & ab omnibus intelligantur. Errores uerò, qui perpauci occurrerunt,uoluimus etiam in unum colligere & castigare; ne interlegendum quandoq; animum tuum perturbent.At tu interim librum sedulò perleges,& gratum Autoris, nostrumq; animum comprobabis. Vale.

Fol.12.6.pro qualitatem .l. quantitatem, & paulo post pro hoc.l.hos.
Fol.13 6. secundi ordini.l, secundi ordinis.
Fol.16.6. Atq; .l. Atquì.
Fol.32. a Odorauit.l.Odoratui.
Fol.42.6. eam.l.ea.
Fol.49.a & Foliis.l. floribus.
Fol.53.a I pep.l.Iulep.
Fol.64.b.uideatur.l.uidetur.



PATAVII.

APVD Paulum Meietum.

M. D. LXXXIII.